

Respn 13004  
1/2

# LOGICA.

I N

V S V M S T V D I O S A

I V V E N T V T I S.

A U T O R E

ELIA RAMONDOW

M. PHILOSOPHIÆ PROFESSORE

IN ACADEMIA PODIOLAVRENSI ET

eiusdem Academiæ Rectore;



PODIOLAVRI,

Apud PETRVM BERTIERVM, Academiæ  
Typographum, anno 1667.

---

Cum Approbatione & Facultate:



## PRÆFATIO.

**R**IUS QVAM introductionē Porphyrij, & Logicam Aristotelis commentarijs explanandas & quæstionibus enodandas suscipiamus: duos locos valdè communes tanquam præludia pertractabimus: quorum prior locus erit de Philosophia in communi: posterior verò de Logica.

Dum loquemur de Philosophia agemus 1°. De origine & nomine Philosophiae 2°. De definitione Philosophiae, ostendendo quid sit, 3°. Eius diuisionem in suas partes considerabimus docentes quotuplex sit Philosophia, siue quænam sint eius species. Agentes de Logica 1°. Nomen, 2°. Definitionem Logice attingemus vbi quæstiones quæ de genere, de obiecto, & de fine Logice ventilari solent expediemus. 3°. Perpendemus vr̄um Logica sit pars Philosophiae, 4°. Et ultimò videbimus vr̄um Logica sit necessaria ad alias scientias acquirendas in statu perfecto: & hæc omnia fauente Deo.



## APPROBATIO.

**N**OS infrà scripti omnibus notum facimus D. ELIAM RAMONDOW, M. & Philosophiae Professorem, nobis perlegendam & examinandam tradidisse *Logicam*, in qua nihil inuenimus, quod pijs moribus, vel Articulis Fidei aduerseatur. Datum Podiolauri die 12. mensis Ianuarij 1667.

BONAFOSSIVS Minist.

MARTELLVS Minist.

## FACULTAS.

**L**O G I C A M Dom. Eliæ Ramondou, in hâc Podiolaurensi Academiâ Philosophia Professoris, Typis mandari consentio Podiolauri, die 15. mensis Ianuarij, anni D. 1667.

DE MAVSY in vrbe Podiolaurensi  
Procurator Regius.



# LOGICA,

IN

## V SVM ST VD I O SÆ I V V E N T V T I S.

---

### CAPVT I.

*De origine & nomine Philosophiae.*

 V A N D O Q V I D E M omne bonum donum à Deo proficiscitur: asseueranter pronuntiamus Philosophiam esse Cœlo delapsam, & exinium Dei donum: eam infudit Deus Adamo: & reuerà qui imponit nomina singulis rebus est necessariò Phiosophus, nam vt ait magnus Scaliger, *in cūdendis nominibus perpetuam*

gerunt dictaturam Philosophi: ratio est quia nomen dictum fuit quasi nouimen scilicet rei, cuius est nomen: vnde nomen debet significare aliquam proprietatem rei quae alijs rebus non conueniat, solus autem Philosophus is est qui nouit essentias atque proprietates rerum: Adamum autem imposuisse nomina rebus omnibus, patet ex cap. 2º. Gen. vnde ulterius colligendum fluit Adamum habuisse Philosophiam, & eam accepisse a Deo optimo maximo. Ab Adamo Philosophia peruenit ad Noachum, a Noacho ad Chaldeos & Hebreos, a Chaldeis & Hebreis ad Aegyptios, ab Aegyptiis ad Gracos, a Gracis ad Latinos, & tandem a Latinis ad nos usque transiuit: Quia verò priscis illis temporibus partim nequitia, partim incuria hominum corrupta fuit Philosophia, eam in pristinam dignitatem restituerunt Thales, Anaxagoras, Socrates, Plato, & praecepit Aristoteles.

In nomine Philosophiae tria sunt distincte consideranda scilicet *equipollentia*, *homonymia*, & *etymologia*: *equipollentia* sita est in eo quod Philosophi varias apud Nationes varia obtinuerint nomina: nam apud Gracos dicti sunt σοφοι id est sapientes. Apud Persas vocati sunt *magi*: apud Iudeos *Rabbini*: apud Aegyptios

Sacerdotes: apud Assyrios *Chaldae*: apud Indos *Brahmanæ*, vel *Gymnosophistæ*: apud priscos *Gallos Druides* vel *Bardi*. Apud Pythagoreos *Philosophi*: nam cum olim Pythagoras se contulisset in illam partem Italiae quam vocant magnam *Græciam* & coram Leontio Phliasiorum rege orationem habuisset rogatus fuit in qua arte foret sophos, ad quam interrogationem respondit se non esse *σοφόν* sed *Φιλόσοφον* id est *amatorem sapientiæ*: Aristoteles etiam satius duxit vocare homines amatores sapientiæ, quam sapientes, quando docet l. i. Meth. c. i. Omnes homines à natura scire desiderare: ejus verba lege in præfatione compendij nostri. Quoad homonymiam vocis Philosophiæ: sciendum est Philosophiam distinguiri in *naturalem* & *artificialem*: naturalis est facultas cognoscendi effectus per causas omnibus hominibus à natura insita, quam comittatur in quibusdam hominibus *ἀγνῶνα* id est acutum ingenium Philosophia artificialis est *habitus bene & facile discurrendi à causis ad effectus*: & de hac Philosophia nunc est sermo.

Quoad etymologiam hujus nominis obseruandum est illud esse conflatum ex duabus vocibus Græcis, quæ sunt *φιλία* id est amor, & *σοφία* id est sapientia, quare dicitur Philoso-

phia ac si diceres φιλία τῆς σοφίας id est amor sapientiæ , non tamen est propriè amor : nam cognitio non est propriè amor , atqui Philosophia est cognitio , non est igitur propriè amor ; sed dicitur amor per metonymiam effectus pro causa quia est causa amoris , vel habet sibi coniunctum amorem majoris sapientiæ siue majoris scientiæ : ubi aduertes absurdam esse sententiam Senecæ epist. 89. Conatur probare Philosophiam & sapientiam res esse valdè diuersas arguens in hunc modum : sicut avaritia quæ est amor pecuniaæ , est res valdè diuersa a pecunia , ita Philosophia quæ est amor sapientiæ maximè differt à sapientia , & sicut via qua itur ad urbem , non est urbs ad quam dicit : ita Philosophia quæ est via ad sapientiam non est sapientia ad quam nos ducit : sed aberrat totâ viâ Seneca : nam longum latumque est discri-  
men inter avaritiam & Philosophiam : siquidem avaritia potest regnare in corde hominis , qui omnino pecunia caret : amor vero sapientiæ non potest esse in corde hominis quin continuo in ejus corde sit aliquis sapientiæ gradus : sed demus Senecæ quod vult : quæramus à Seneca an amauerit sapientiam vel non amauerit : si amauerit non fuit sapiens , quandoquidem ex ejus sententia amor sapientiæ , & sapientia

non sunt simul : si non amauerit sapientiam  
non fuit etiam sapiens.

**C A P V T II.***De definitione Philosophiae.*

**C**ONSIDERATO nomine Philosophiæ consideranda sequitur res significata per nomen , vel consideranda venit ejus definitio realis.

Philosophia igitur considerari potest duobus modis : vel relatè effectus quos producit: vel absolutè in se : sumpta sub priori notione varias descriptiones fortitutur apud Philosophos: dicitur enim *meditatio mortis* : *medicina animæ*: *similitudo hominis cum Deo* : *reparatio mentis atque voluntatis* : *vita moralis possessio* : est *medicina animæ*: quia medetur morbis animæ quatenus expellit ignorantiam ab intellectu, & tollit malitiam à voluntate. Est *meditatio mortis*, vel *commentatio mortis* ( vt ait Cicero quæstione prima Tusculana.) Primò quatenus abducit animam à vitio , voluptatibus, & seruitute corporis per præcepta quæ traduuntur in Philosophia morali. Secundò est *meditatio mortis*

quatenus eleuat animam suprà sensus & phantasiam ad contemplandas res vniuersales sensibus non obnoxias: atque hæc avulso animæ à corpore est quasi mors, & quædam vita cœlestis qua homo fit immortalis, quantum fieri potest, vt ait Aristoteles lib. 10. Eth. cap. 7.

Vbi docet hanc vitam ἐφ ὅσον ἡνδέχεται απαθανάτιον id est immortalem facere quantum potest: dicitur *similitudo hominis cum Deo*: quia efficit hominem Deo similem, vt enim Deus cognoscit ea quæ sunt cognoscenda, & agit quæ sunt agenda: ita Philosophus contemplatur quæ sub contemplationem cadunt, & agit quæ sub operationem cadere possunt: scilicet contemplatur quatenus Physicus, vel Metaphysicus: agit verò quatenus est Logicus vel Ethicus: vnde Hypocrates rectè dixit Λαζης Φιλόσοφος οὐδεος: id est medicus Philosophus est Deo similis: Deus summus est medicus qua corporis qua animæ: similiter medicus Philosophus sanat & corpus & animam. Vocatur *reparatio mentis atque voluntatis*: quia ( vt suprà diximus ) ab ignorantiae tenebris intellectum purgat: & voluntatem à malitia mundat. Postremò dicitur *vita moralis possessio*: quia facit vt intellectus noster verum bonum morale cognoscat, & voluntas nostra illud ab intellectu

cognitum amore prosequatur : via autem moralis consistit in cognitione & amore veri boni.

Philosophia sumpta absolutè in se diuersis modis definitur : Plato eam definīt, *cognitionem rerum diuinarum & humanarum*: hæc definitio non est legitima , siue per res diuinæ intelligentur *res spirituales*, & per humanas *res corporeæ*: siue per diuinæ intelligentur *res sempernae*: & per humanas *res caducae*: siue tandem per diuinæ intelligentiam *Deum virtutes Dei & opera Dei*: quæ ab homine non possunt fieri qualia sunt cœlum elementa , &c. Et per humanas *hominem & quæ ab homine dependent*. 1°. Quia differentia essentialis Philosophiæ scilicet *ratio discursuum* desideratur in hac definitione, 2°. Quia nulla est Philosophiæ pars quæ sit simul & semel cognitio rerum diuinarum & humanarum : nam Logica & Ethica sunt cognitiones rerum humanarum, sed non diuinarum ; Physica est cognitio rerum diuinarum, sed non humanarum : quia res merè naturales non pendent ab hominis voluntate : Metaphysica verò est cognitio rerum quæ neque sunt humanæ neque diuinæ , sed abstrahunt ab humanis & diuinis , agit enim de ente uno , vero, bono , sumptis in communi : 3°. Quia hæc

definitio conuenit jurisprudentiæ nam Iustinianus in institutionibus eam definit *notitiam rerum diuinarum & humanarum*: scio quidem nonnullos respondere per res diuinas aliud intelligi in definitione Philosophiæ , & aliud in definitione jurisprudentiæ : in definitione Philosophiæ volunt intelligi Deum, attributa Dei, & opera Dei : & per humanas volunt intelligi hominem , & opera quæ ab homine pendent: docent verò in definitione jurisprudentiæ per res diuinas significari *ritus, ceremonias*, uno verbo *omnia sacra* , & per humanas significari *omnia negotia ciuilia*.: sed hæc responsio non satisfacit quia ex eâ responsione sequitur hanc definitionem Philosophiæ constare terminis æquiuocis , quandoquidem hæc voces *rerum diuinarum & humanarum* diuerso sensu accipiuntur : homonymia autem vitanda est in omni definitione , quæ debet esse perspicua , 4°. Peccat superior definitio quia Theologia est *cognitio rerum diuinarum & humanarum*: quis tamen dixerit eam esse Philosophiam nisi sit simul *αθεόλογος & αφιλόσοφος*: neque proficit quicquam eorum exceptio , qui dicunt Theologiam esse cognitionem rerum diuinarum & humanarum quatenus lumine supernaturali possunt cognosci : Philosophiam verò esse

cognitionem rerum diuinarum & humanarum quatenus lumine naturali cognosci possunt: nam objectum formale philosophiae scilicet *quatenus lumine naturali possunt cognosci* non reperitur in illa definitione: in quâ *res diuinæ & humanae* sunt objectum materiale philosophiae; formale verò est *quatenus lumine naturali sunt cognoscibles*: 5°. & vltimò omniscientia Dei est cognitio rerum diuinarum & humanarum omniscientia tamen Dei non est Philosophia formaliter sumpta.

Qui definiunt Philosophiam *cognitionem rerum ut sunt*: non cognoscunt philosophiam ut est: nam 1°. Vbicunque est cognitio rerum ut sunt non est philosophia ( scilicet formaliter ) verbi gratia in Deo est cognitio rerum ut sunt, non tamen est philosophia ( scilicet formaliter ) 2°. Cognitio rerum ut sunt nihil est aliud quam cognitio vera, siquidem verè cognoscere rem, est eam cognoscere ut est: jam esse *cognitionem veram* non potest esse vera definitio Philosophiae, quia non conuenit soli Philosophiae, sed etiam Theologiae quæ est cognitio vera, & cognitio terum ut sunt: intelligentiæ quæ est etiam cognitio vera & cognitio rerum ut sunt, &c.

Keckermannus definit Philosophiam *fascicu-*

*lum scientiarum & prudentiae*: quæ definitio fasciculus est vitiorum. Nam 1°. ibi desideratur verum genus, quandoquidem rō *fasciculus scientiarum*, vtpote ens per accidens constans ex pluribus entibus actu non potest esse propriæ dictum genus, 2°. prudentia quæ virtus est moralis non est propriè Philosophia vel Philosophiæ pars, 3°. omnis bona definitio vtpote explicans vnam rem simplicem debet esse una & simplex, non verò conjuncta & composita qualis est superior definitio.

Definitur ab alijs *scientia rei naturalis necessariæ ut sic*: sed sic etiam male definitur Philosophia: quia, 1°. scientia quæ ponitur tanquam genus non latius patet Philosophiâ, nam sicut omnis Philosophia est scientia, ita omnis scientia est philosophia, cum omnis scientia sit cognitio rei naturalis necessariæ vt sic siue per propriam causam, 2°. res naturalis non est objectum adæquatum philosophiæ, nam philosophia extenditur vel non tantum ad res naturales, sed etiam ad res supernaturales scilicet ad Deum, & virtutes Dei: vt pater exemplo Metaphysicæ quæ agit de Deo & rebus diuinis in parte speciali: 3°. illa definitio redundat in superfluis, nam illæ voces *rei naturalis necessariae ut sic*, siue per propriam causam,

sunt superfluæ : nam qui dicit scientiam , dicit necessariò cognitionem rei naturalis necessariae ut sic , siue per propriam causam : scientia enim ( vt omnes sciunt ) definitur *cognitio certa & evidens rei necessariae per propriam causam.*

Respondent defensores superioris definitio-  
nis Deum esse supernaturalem secundum en-  
titatem , posse tamen dici naturalem quatenus  
lumine naturali potest cognosci : contra dico  
Deum non posse propriè dici rem naturalem  
& quæro ab aduersarijs an objectum philo-  
sophiæ sit propriè res naturalis , vel impropriè:  
si propriè ergo Deus qui est objectum Philo-  
sophiæ erit propriè res naturalis ( quod est im-  
pium dictu ) si impropriè ergo illa vox *naturalis*  
impropriè & figuratè sumitur in definitione: in  
omni autem definitione vitandæ sunt figuræ.

A nobis igitur sic definitur Philosophia *co-*  
*gnitio effectuum per causas:* in quâ definitione  
explicandâ , illustrandâ , & propugnandâ , ali-  
quamdiù immorabimur: in hac igitur defini-  
tione quatuor sunt particulae sigillatim per-  
pendendæ quarum prima est *cognitio* , secun-  
da est *effectuum* , tertia est *causas* , quarta est  
*per causas.*

Quoad primam sciendum est cognitionem  
esse duplicem , vnam habitualem , alteram

actualēm: prior est habitus cognoscendi, posterior est actio cognoscendi: prior est genus Philosophiæ, posterior est effectus Philosophiæ. Sensus est igitur Philosophiam esse cognitionem habitualem: vbi obserua Philosophiam posse concipi duobus modis vel absolute vel secundum quid, scilicet quatenus est habitualis, vel actualis: Philosophia sumpta præcisè, ut Philosophia, habet pro genere cognitionem: sumpta ut habitualis habet pro genere cognitionem habitualem: concepta verò Philosophia ut actualis habet pro genere cognitionem actualēm: hic autem agimus de Philosophia habituali.

Quoad secundam particulam definitionis tenendum est per effectus debere intelligi res omnes. quæ sunt humanæ vel diuinæ, vel quæ saltēm possunt esse humanæ vel diuinæ: res diuinæ sunt Deus, attributa Dei, & ejus opera, èā scilicet quæ non sunt in nostra potestate, qualia sunt coeli elementa &c. Res humanæ sunt homo, facultates morales hominis, scilicet intellectus & voluntas, actiones morales quæ ab homine dependent: res quæ non sunt humanæ vel diuinæ, sed possunt esse humanæ vel diuinæ, sunt ens in communi, unitas, veritas, bonitas in communi, &c. Et ita Philosophia specu-

speculatiua qualis est Physica versatur circà res diuinæ scilicet circà opera quæ à solo Deo producta sunt qualia sunt cœlum, elementa &c. Metaphysica verò occupatur circà ea quæ possunt esse humana vel diuina, scilicet circà ens vnum verum bonum sumpta in communi.

Quoad tertiam particulam obseruandum est causam esse duplēm, vnam rei alteram cognitionis: causa rei facit ut res sit vel existat: qualis est Deus respectu mundi. Causa cognitionis facit ut res cognoscatur: qualis est mundus respectu Dei, vndè Deus non habet causam rei, quia est omnium rerum absolutè prima. Habet tamen causam cognitionis, scilicet effectus per quos cognoscitur. Causa autem rei est duplex, vna est realiter causa, ut Deus respectu mundi, altera est ratione & virtualiter causa: qualis est simplicitas in Deo respectu ipsius immutabilitatis, vel immutabilitas respectu æternitatis Dei: dicitur autem rationis, vel virtualis quia habet vim causæ propriè dictæ, sicut enim per causam propriè dictam peruenimus ad cognitionem effectus, ita verbi gratia, per simplicitatem Dei peruenimus ad cognitionem ejus immutabilitatis, &c. Et præterea si posset dari in Deo causa propriè dicta immutabilitatis simplicitas foret ejusmodi

causa : quod verò cognoscamus immutabilitatem Dei per ejus simplicitatem : patet in hac demonstratione : omne simplicissimum est immutabile , atqui Deus est simplicissimus , ergo Deus est immutabilis. In superiori autem definitione debet intelligi tum causa rei , tum causa cognitionis. Quare Philosophia est cognitio effectuum per causas scilicet rei vel cognitionis.

Quarta & ultima particula est rō per causas ; ubi aduerte aliud esse cognoscere causas & effectus : aliud cognoscere causas in effectis : aliud cognoscere effectus esse per causas : & aliud tandem esse cognoscere effectus per causas. Cognoscere causas & effectus , est scire aliquid esse causam & aliquid esse effectum : cognoscere effectus in causis : est intueri effectus latentes in potentia causarum : cognoscere effectus esse per causas , est cognoscere effectus dependere à suis causis , verbi gratia calefactionem dependere ab igne : cognoscere verò effectus per causas est habere cognitionem effectuum dependentem a cognitione causarum : quare Deus cognoscit quidem effectus esse per causas , quia cognoscit omnia ut sunt : atqui effectus sunt per causas ergo cognoscit effectus esse per causas ; non tamen cognoscit effectus

per causas: quia non habet cognitionem effectuum ortam à cognitione causarum, non cognoscit per prius & posterius, & in cognitione Dei quæ est æterna non potest dari prius & posterius: vndè patet philosophiam non esse in Deo formaliter, sed eminenter, quia philosophia sumpta formaliter est cognitio discursiva; atqui in Deo non est cognitio discursiva, sed intuitiva, ergo in Deo non est philosophia sumpta formaliter: possidet tamen philosophiam eminenter, quia includit omnes perfectiones philosophiæ, & caret omni imperfectione quæ necessario comitatur philosophiam in homine: habet omnem cognitionem effectuum & causarum, quam habet homo & longe majorem, sed non habet illam cognitionem eodem modo. Homo enim eam obtinet per discursum, Deus verò eam habet sine discursu, sine progressu à notis ad ignota. His prænotatis clarum est hanc definitionem philosophiæ, *cognitio effectuum per causas*, esse legitimā: in qua *cognitio* est genus: *effectuum per causas*, siue relatio ad effectus ut cognitos per causas, est differentia: neque necesse est ut id *habituale* exprimatur in definitione, & definiamus philosophiani cognitionem *habitualem effectuum per causas*, quia genus debet exprimi nomine substant-

tiuo, non adjectiuo: atqui *tò habituale* non est substantium, sed adiectuum, ergo non debet exprimi in definitione Philosophiae: & hac de causa male definitur *cognitio certa & eiusdems &c.* Quandoquidem genus exprimitur terminis adiectiuis: sed nostram definitionem legitimam esse clarius constabit ex solutione objectionum quæ contrà illam adducuntur. Omnes autem objections ad duo capita summatim possunt reuocari vel enim fiunt ab aduersarijs *vt contendant probare Philosophiam non posse definiri:* vel *vt contendant probare definitionem Philosophiae suprà à nobis traditam, carere aliqua conditione legitimæ definitionis.*

Obiicitur igitur 1°. non ens non potest definiri, quia *vt docent Philosophi non entis nullæ sunt affectiones vel definitiones:* atqui Philosophia est non ens, ergo Philosophia non potest definiri: probatur minor quod nullibi existit est non ens: atqui Philosophia nullibi existit, nam si existeret alicubi foret in homine, non est autem in homine, quia homo ignorat formas corporum naturalium: vndè ultrò colligendum fluit Philosophiam esse non ens. Respondeo 1°. non ens siue nihilum esse duplex: scilicet purum, & mixtum: nihilum purum,

neque est neque potest esse , vno verbo est me-  
rum impossibile : nihilum mixtum non est , sed  
potest esse : vocatur nihilum mixtum , quia est  
partim ens , partim non ens : est ens scilicet  
possibile : & non est ens actuale : vel est ens  
quatenus habet essentiam : sed non est ens  
quoad existentiam : vnde ad argumentum , non  
**ens** vel nihilum non potest definiri : distingo ,  
nihilum purum ( quod dicitur nihilum simpliciter ) concedo : nihilum mixtum ( quod dicitur  
nihilum secundum quid ) nego : aduersarij vero  
( si quid probent ) probant Philosophiam esse  
nihilum mixtum vel secundum quid , non vero  
demonstrant eam esse nihilum simpliciter . Re-  
pondeo 2° . argumentum concludere non dari  
Philosophiam perfectam , omnimoda perfe-  
ctione , sed datur saltēm Philosophia imperfe-  
cta , nam habemus cognitionem certam & eu-  
identem multarum rerum per proprias causas ,  
verbi gratia , certò & euidenter cognoscimus  
eclipsim Lunæ contingere per interpositio-  
nen terræ inter Solem , & Lunam : mixtum  
esse corruptibile , quia constat ex qualitatibus  
contrarijs .

Obijtur 2° . ens per accidens non potest de-  
finiri : atqui Philosophia est ens per accidens :  
ergo Philosophia non potest definiri : patet

major , nam quicquid potest definiri est ens vnum & simplex , vt etiam docet Ph. l. 7. Met. cap. 12. *διὰ τὸ ποτὲ, ἐν τῷ οὐρανῷ, id est quare vnum est definitum,* atqui ens per accidens sunt multa entia simul sumpta , vt patet exemplo multitudinis hominum , quæ est ens per accidens : confirmatur autem minor quidquid constat ex pluribus entibus actu completis , est ens per accidens : atqui Philosophia constat ex pluribus entibus actu completis : ergo Philosophia est ens per accidens . Probatur adhuc minor quidquid constat ex Logica, Ethica, Physica , &c. Constat ex pluribus entibus actu completis : atqui Philosophia constat ex Logica , Ethica , Physica , &c. Ergo constat ex pluribus entibus actu completis : minor patet nam cum Logica , Ethica , Physica , &c. Sint plures species inter se oppositæ , sunt plura entia actu completa : Respondeo 1°. distinguendo majorem primi argumenti , ens per accidens non potest definiri : distinguo si sit ens per accidens causaliter vel entitatiè concedo. Si sit ens per accidens attributiè nego. Vbi notabis ens per accidens causaliter esse illud quod per se non habet causam determinatam in rerum natura ut mōstrum : ens per accidens entitatiè est illud quod constat ex pluribus entibus actu

completis : vt aceruus lapidum : ens per accidens attributiū est illud quod constat ex rebus diuersarum categoriarum quarum vna se habet tanquam materia & altera tanquam forma , vt album, sed de hoc triplici ente per accidens agetur in alia quæstione vbi de objecto Logicæ. Respondeo 2°. distinguendo minorem primi argumenti Philosophia est ens per accidens , distinguo sumpta vt est totum aggregatum resultans ex Logica , Ethica , &c. Concedo: sumpta vt est totum essentiale nego: nam vt totum essentiale constat his partibus essentialibus *cognitio, effectuum per causas* : definitur verò à nobis sumpta vt totum essentiale sub qua notione est ens per se non per accidens.

Qbijcitur 3°. illa definitio non explicat an Philosophia sit cognitio certa, vel incerta , obscura , vel euidens : an illi effectus quorum est cognitio, sint naturales vel supernaturales: ergo non valet. Respondeo 1°. retorquendo argumentum nam quando Philosophia definitur *cognitio certa & euidens* , &c. Non explicatur an sit cognitio infusa , vel acquisita , vel naturalis. Respondeo 2°. subintelligendas esse has voces *certa & euidens* , & non debere exprimi quia si exprimerentur, genus exprimeretur terminis adjectiuis : genus autem debet exprimi

termino substantiuo: quare genus remotum præferendum est generi proximo quando genus proximum non potest exprimi aliter quam terminis adjectiuis , ad illud verò quod dicitur non explicari quinam effectus sint intelligendi an naturales an supernaturales. Respondeo effectus vt sunt objectum Philosophiæ abstrahere à naturalibus & supernaturalibus.

Obijcitur 4°. cognitio non est genus Philosophiæ , ergo illa definitio non est legitima: probatur antecedens , genus & species sunt in eadem categoria , vt patet intuenti omnes categorias , & docetur à Philosopho , l. 4. Top. c. 1. His verbis ἡ τὸν αὐτὸν διαιρέσει τὸ γένος ἐστιν τὸ εἶδος id est genus & species sunt in eadem diuisione : siue categoria , ( nam ibi vox diuisionis significat categoriam ) atqui cognitio & Philosophia non sunt in eadem categoria , ergo cognitio & Philosophia non sunt genus & species : ac proinde cognitio non est verum genus Philosophiæ ; probatur minor , quæ sunt in diuersis categorijs , non sunt in eadem categoria : atqui cognitio & philosophia sunt in diuersis categorijs : ergo cognitio & philosophia non sunt in eadem categoria , minor patet , nam cum cognitio sit actio cognoscendi est in categoria actionis. philosophia verò vtpote

habitus est in categoria qualitatis. Respondeo ad minorem primi argumenti cum hac distinctione: cognitio & philosophia non sunt in eadem categoria distinguo, cognitio actualis, & philosophia, concedo: cognitio habitualis & philosophia, nego: ubi nota cognitionem actualis, esse actum cognoscendi, & effectum philosophiae, cognitio vero habitualis est habitus cognoscendi, & genus philosophiae; in nostra igitur definitione intelligi debet cognitio habitualis.

Dices 1°. in omni definitione legitima, genus proximum debet contineri explicitè: at qui ex concessis, cognitio habitualis est genus proximum, ergo cognitio habitualis debet contineri explicitè. Respondeo negando minorem nam cognitio habitualis est genus remotum cum differentia essentiali generis proximi, non vero est genus proximum: nam genus proximum est terminus simplex & substantius, cognitio vero habitualis, neque est terminus simplex, neque substantius tantum, quandoquidem *non habitualis* vox est adiectiva: verbi gratia si definiam hominem, viuens sentiens rationale, haec voces viuens sentiens, non sunt genus proximum, sed genus remotum cum differentia essentiali generis proximi videlicet animalis.

Dices 2º. genus proximum qualemcumque sit, & quocumque modo exprimatur, est præferendum generi remoto: atqui cognitio habitualis est genus proximum ( aliquo saltēmodo designatum ) & cognitio præcisè sumpta est genus remotum, ergo cognitio habitualis est præferenda cognitioni præcisè sumptæ: & ita satius est definire philosophiam, cognitionem habitualem effectuum per causas. Respondeo ad majorem primi argumenti cum hac distinctione, genus proximum est præferendum generi remoto, distingo, si possit exprimi voce simplici & substantiâ, concedo: si non possit exprimi voce simplici & substantiâ, nego: cognitio autem *habitualis* non est vox simplex & substantiua sed adjectiua: ratio est quia, genus se habet ad modum entis per se stantis, non verò per modum entis adjacentis ac proinde genus debet exprimi voce substantiâ.

Obijcitur 5º. omnis bona definitio conuenit omni definito, atqui illa definitio non conuenit omni definito ( scilicet omni Philosophiæ) ergo non est bona: probatur minor, non conuenit Metaphysicæ ( quæ est vna species philosophiæ) ergo, &c. Probatur antecedens, Met. non est cognitio effectuum per causas, ergo

illa definitio non conuenit Metaphysicæ: probatur iterum antecedens , si Metaphysica sit cognitio effectuum per causas , effectus & causa reperiuntur in objecto Metaphysicæ , atqui falsum posterius ; ergo & prius : probatur minor , Deus est objectum Metaphysicæ : atqui in Deo non dantur effectus & causa : ergo in objecto Metaphysicæ , non dantur effectus & causa : patet minor nam vbi sunt causa & effectus, ibi datur prius & posterius, in Deo autem non datur prius & posterius , quandoquidem Deus est æternus , in æternis autem non datur prius & posterius , primum & ultimum , principium & finis. Respondeo causam esse duplēcēm vnam rei , alteram cognitionis ; causa rei facit ut res existat: causa verò cognitionis facit ut res cognoscatur ; causa rei est prior realiter suo effectu, causa verò cognitionis est prior conceptu & ratione suo effectu , quia concipiatur tanquam prior : vnde ad argumentum in Deo non dantur effectus & causa , distinguo , effectus rei & causa rei , concedo ; effectus cognitionis & causa cognitionis , nego : verbi gratia simplicitas in Deo est causa cognitionis respectu illius immutabilitatis , nam cognosco Deum esse immutabilem quia est simplicissimus ; ut patet in hac demonstratione

omne simplicissimum est immutabile , atqui Deus est simplicissimus , ergo Deus est immutabilis : simplicitas autem Dei dicitur causa virtualis respectu immutabilitatis , quia habet eandem vim quam habet causa rei , sicut enim causa rei nos deducit in cognitionem sui effectus ita simplicitas Dei nos deducit in cognitionem ejus immutabilitatis , & præterea , si posset dari causa rei in Deo respectu immutabilitatis simplicitas esset illa causa rei .

Obijcitur 6° . & vltimò omnis bona definitio conuenit soli , atqui prædicta definitio non conuenit soli : ( scilicet soli philosophiæ ) ergo non est bona : probatur minor conuenit medicinæ , ergo non conuenit soli philosophiæ : probatur antecedens medicina est cognitio effectuum per causas : ergo conuenit medicinæ : antecedens patet nam medicinæ cognoscit bonam valetudinem esse per legitimam temperiem humorum , & morbum esse per intemperiem humorum , ergo est cognitio effectuum per causas . Respondeo causam & effectum , posse considerari duobus modis vel materialiter , vel formaliter : materialiter sumpta sunt res quæ dicuntur causa & effectus , quales sunt legitima dispositio humorum , & bona valetudo : sumpta formaliter sunt *causalitas* &

effectibilitas , quæ sunt formalitates a quibus res denominantur causa & effectus : vnde ad argumentum medicina cognoscit effectus per causas , distinguo si effectus & causa sumantur materialiter , concedo : si sumantur formaliter pro causalitate & effectibilitate nego.

Dices medicus cognoscit effectus & causas sumpta formaliter , ergo medicina est cognitione effectuum & causarum formaliter sumptorum : antecedens liquet medicus enim cognoscit quid sit causalitas & quid sit effectibilitas . Respondeo ad antecedens cum hac distinctione medicus cognoscit effectus & causas formaliter sumpta distinguo , sumptus materialiter & specificatiuè quatenus est Philosophus concedo : sumptus formaliter & reduplicatiuè qua medicus nego .

---

### CAPVT III.

#### *De diuisione Philosophiae in suas partes.*

**V**I D I M V S suprà quid sit philosophia , nunc nobis est inquirendum quotuplex sit siue quomodo recte diuidatur : vbi prænotamus hic philosophiam diuidi quatenus est

totum potentiale vel genericum , non verò  
quatenus est totum essentiale vel Metaphysi-  
cum.

Prima diuisio est Epicuri qui diuidit philo-  
sophiam in *Ethicam* , *Physicam* & *Canonicam*:  
quæ diuisio verè est Epicuræa siue vitiosa : 1°.  
Quia obscura est, vix enim potest intelligi quid  
per canonicam intelligat : 2°. Quia collocat  
vnam speciem sub altera sibi oppositâ ( vt si  
quis collocaret hominem sub bruto ) collocat  
enim Mathematicas disciplinas sub Physica.

Setunda diuisio philosophiæ traditur a  
Stoicis & Academicis hoc pacto, philosophia  
diuiditur in *Physicam* , *Logicam* & *Ethicam* : &  
vt Ciceronis verbis vtamur in *naturæ obscurita-*  
*tem* , *differendi subtilitatem* , *vitam atque mo-*  
*res*. Quam diuisionem pluribus illustrabant  
exemplis, 1°. comparabant philosophiam cum  
animali cuius ossa & nerui erant Logica , caro  
& pellis erant Ethica , Physica verò erat ejus  
anima. 2°. conferebant philosophiam cum ouo  
cujus putamen vel cortex erat Logica , albu-  
men erat Ethica , vitellus verò erat Physica.  
3°. asserebant philosophiam esse similem cam-  
po frugifero , volentes Logicam esse sepimen-  
tum , Physicam esse arborem , Ethicam verò  
fructus ; 4°. conferebant philosophiam cum

Ciuitate , cuius murus erat Logica , leges erant Physica , administratio verò erat Ethica: hæc diuisio verè est Ciceroniana , & oratoria, sed non philosophica. Peccat enim 1°. quia fit in partes remotas , non proximas , nam inter Physicam , Ethicam , Logicam , & Philosophiam , dantur aliæ partes quæ propius accedunt ad philosophiam , scilicet scientia speculativa , & scientia practica. 2°. quia ponit duas species sub alia illis opposita , ( vt si quis poneret canem & leonem sub equo ) ponit enim hæc diuisio Metaphysicam & Mathematicam sub Physica. Quare Ciceroni relinquentes suam in dicendo facundiam , soliditatem in diuidendo , quæremus apud Aristotelem.

Tertia igitur & vltima diuisio traditur à Philosopho lib. 2. Metaph. cap. 2. Vbi partitur philosophiam in *speculatiuam* & *practicam*: quan*d* diuisionem admittimus & confirmamus legitimam esse sequentibus rationibus : prima desumitur à subjecto philosophiæ scilicet ab homine , nam totuplex est philosophia , quotuplex est intellectus hominis , atqui duplex est intellectus hominis scilicet *speculatiuus* & *practicus* , ergo duplex est philosophia , scilicet *speculativa* & *practica* : similiter quotuplex est actus intellectus , totuplex est philosophia,

atqui duplex est actus intellectus , scilicet speculatio , & praxis; ergo duplex est philosophia, scilicet speculativa & practica ; porrò quotuplex est animæ rationalis morbus , totuplex esse debet philosophia ; quandoquidem philosophia dicitur esse *medicina animæ*: ( debet autem esse totuplex medicina quotuplex est morbus ) atqui duplex est animæ, ( videlicet rationalis) morbus , scilicet ignorantia intellectus, & malitia voluntatis ; ergo duplex est philosophia scilicet speculativa & practica ; quarum prior ignorantiam ab intellectu expellit , & posterior malitiam à voluntate tollit. Secunda ratio dicitur ab ista descriptione philosophiæ qua philosophia dicitur esse *vita moralis possessio*: vnde sic arguimus , quot sunt vitæ moralis partes , totidem sunt philosophiæ partes ; atqui duæ sunt vitæ moralis partes ; scilicet contemplatio & actio , ergo duæ sunt philosophiæ partes , nimirum speculativa & practica. Tertia & ultima ratio petitur ab objecto philosophiæ hoc modo , quotuplex est objectum philosophiæ , totuplex est philosophia: atqui duplex est tantum objectum philosophiæ, scilicet vel contemplabile, vel agibile : vel necessarium vel contingens: vel diuinum vel humanum: ergo duplex est tantum philosophia scilicet speculativa & practica.

Philo-

Philosophia speculatiua est ea quæ habet pro fine ultimo nudam contemplationem objecti, & in hac contemplatione acquiescit: subdiuiditur verò in Physicam, Metaphysicam, & Mathematicam: Physica est scientia speculatiua corporis naturalis quatenus est naturale: Metaphysica est scientia speculativa entis quatenus est ens: Mathematica est scientia speculativa quantitatis quatenus est quantitas: Mathematica diuiditur adhuc, in quatuor species, scilicet Geometriam, Astrologiam, Arithmeticam, & Musicam: Geometria est scientia quantitatis continuæ semper immobilis: Astrologia est scientia quantitatis continuæ semper mobilis: Arithmetica est scientia quantitatis discretæ nimirum numeri: Musica est scientia quantitatis discretæ & sonoræ.

Philosophia practica est ea quæ habet pro fine ultimo primum vel operationem: ubi obserua omnem philosophiam practicam facere suum objectum, vel saltem tradere præcepta de illo confiendo; nam Logica non tantum tradit regulas de confiendo suo objecto, sed etiam illud facit: moralis verò tradit præcepta de producendis actionibus bonis moraliter (quæ sunt ejus objectum) sed illas non facit, si enim moralis faceret actiones bonas moraliter, omnis Ethicus esset vir probus (quod est falsum)

ac proinde moralis non facit suum objectum: vnde patet philosophiam practicam diuidi in moralem & Logicam: moralis philosophia est scientia practica actionum humanarum, quatenus sunt dirigibiles ad bonum hominis. Logica est sci-  
tia practica entis rationis quatenus est directuum, in cognitionem veritatis. Moralis philosophia diuiditur adhuc in tres partes, scilicet *Ethicam*, *oeconomicam*, & *politican*: Ethica versatur circà actiones humanas quatenus sunt dirigibles ad bonum priuatum hominis. Oeconomica versatur circà actiones humanas quatenus sunt dirigibles ad bonum commune totius familie. Politica versatur circà actiones humanas, quatenus sunt dirigibles ad bonum publicum to-  
tius Ciuitatis. Ex prædictis vltò colligen-  
dum fluit philosophiam speculatiuam distare à practica, 1º. ratione objecti formalis, nam objectum formale contemplatiæ est rò *contem-  
plabile*, objectum verò formale philosophiæ  
practicæ est rò *agibile*. 2º. distinguitur ratione  
modi quo versatur circà objectum suum, nam  
philosophia practica versatur circà suum ob-  
jectum tradendo regulas de conficiendo suo ob-  
jecto, vndè non tantùm versatur circà ob-  
jectum practicum, sed etiam versatur practice  
circa illud, philosophia verò speculatiua, non

tradit præcepta de conficiendo suo objecto,  
vnde non tantum versatur circa objectum spe-  
culatiuum , sed etiam versatur speculatiuè cir-  
ca illud. 3º. philosophia practica distat à spe-  
culatiua per finem suum vltimum , nam finis  
vltimus philosophiæ practicæ est praxis vel  
operatio (vt suprà:) finis vero vltimus specula-  
tiuæ est nuda cognitio objecti , & his differen-  
tijs potest addi quarta differentia , scilicet phi-  
losophiam speculatiuam procedere methodo  
compositiu , practicam verò methodo reso-  
lutiua.

Obijcies omnis philosophia est speculati-  
tia : ergo male diuiditur in speculatiuam &  
practicam , probatur antecedens , omnis phi-  
losophia contemplatur , ergo omnis philoso-  
phia est contemplatiua ; probatur adhuc ante-  
cedens omnis philosophia cognoscit , ergo om-  
nis philosophia contemplatur : Respondeo ne-  
gando consequentiam hujus vltimi enthime-  
matis , nam aliud est cognoscere , aliud con-  
templari : quia contemplari plus dicit quam  
cognoscere , quandoquidem contemplari est  
acquiescere in cognitione objecti .

Instabis philosophia in communi est con-  
templatiua , ergo omnis philosophia in parti-  
culari est speculatiua : probatur antecedens ,

omnis cognitio quæ excludit relationem ad praxim, est speculatiua, atqui philosophia in communi est cognitio quæ excludit relationem ad praxim, ergo est speculatiua: probatur minor, philosophia in communi non includit relationem ad praxim, nam si illam includeret, foret practica (quod est falsum) ergo illam excludit. Respondeo ad majorem cum hac distinctione, omnis cognitio quæ excludit relationem ad praxim, est speculatiua: distinguo si illam excludat positiuè, concedo, si illam excludat negatiuè tantum nego: philosophia autem in communi dicitur excludere relationem ad praxim quatenus illam non includit: non vero quatenus ponit differentiam contrariam, quæ est non acquiscere in cognitione objecti, verbi gratia animal in communi excludit negatiuè rationale, quia illud non includit: sed non excludit positiuè rationale ponendo differentiam contrariam quæ est non rationale, quo sensu brutum excludit non rationale.





POSTERIOR  
LOCVS COMMVNIS  
QVI EST DE LOGICA.

---

CAPVT I.

*De nominibus & definitione Logicae.*

**N** præfatione diximus nos per tractatuos duos locos communes tanquam præludia ad Logicam, vnum de Philosophia in communī , alterum de Logicā : priorem percurrimus: nunc posterior nobis est percurrendus : & 1°. de nominibus Logicæ.

Nomina quibus hæc scientia donari solet, sunt duplia, alia figurata & periphrastica, alia propria : nomina figurata sunt totidem encomia quibus Logicæ utilitas nobis commen-

datur: quidam igitur, eam vocant *oculum animae, solem mundi*, scilicet parui, qui est ipse homo, *rationis & orationis lumen*: eam etiam vocant *libram veritatis*, quia sicut ad libram omnia ponderantur, ita ad Logicam omnia examinantur: dicitur etiam *cibrum*, quia, ut puriora discutiuntur ab impuris per cibrum, ita per Logicam vera secernuntur à falsis. Plurima sunt alia nomina quibus indigetur, à quibus recensendis vltro supersedemus, ut dicamus Logicam esse *Helycem & Cynosuram*, qua nauigatio nostra in scientijs feliciter ad portum appellit: philosophia est quasi mons Parnassus biceps, philosophia speculativa, & philosophia practica, ejus sunt duo capita quæ hinc & illinc eminent: Logica vero est *fons Castalius*, vnde haurire licet omnia scientiarum fluenta: Logica dicitur etiam à nobis *vnguis Pegasi*, quia sicut Pegasus impressione vnguis fontem aperuit in monte Parnasso, similiter Logica applicatione sui cæteris scientijs, omnes scientiarum fontes nobis aperit: Postremò eam vocamus *Herculis clauam*, qua facile perdomantur omnia sophistarum monstra: eam nominamus non modo scientiam, sed etiam *scientiarum scientiam*, quia per alias scimus, sed per Logicam scimus nos scire.

Nomina propria quibus hæc scientia solet designari , magis declarant ejus naturam , & sunt numero quatuor scilicet , *Logica* , *Dialectica* , *Organum* , & *scientia rationalis* : de 1° . & 2° . egimus in *Compendio* : hîc tamen non nulla addemus : dicimus igitur nomen Logicæ deduci διορθωσίς λόγου non quatenus illa vox significat definitionem : ( quo sensu sumitur apud philosophum in anteprædicamentis , vbi vocat definitionem homonymorum τὸν λόγον ) nam Logica non considerat definitionem tantum : non etiam deriuatur διορθωσίς λόγου , quatenus illa vox designat argumentationem : quo sensu accipitur apud philosophum l. i. priorum Analyticorum cap. 1° . Quia hæc scientia non considerat solam argumentationem : sed nomen Logicæ ortum trahit ab ἀντορθώσει λόγου , quatenus illa vox græca significat sermonem mentalem siue conceptus mentis : vbi obserua tria esse disciplinarum genera , quarum aliæ considerant voces , vt Grammatica & Rhetorica : aliæ versantur circa res vel contemplandas , vel agendas , vel efficiendas , vel vtendas : circa res contemplandas versantur scientiæ speculatiuæ : in rebus agendis versantur scientiæ practicæ : in rebus efficiendis artes ( quæ vocantur seruiles : ) qualis est Ars frænæfactoria : in rebus

vtendis versantur artes ( quæ vocantur dominicæ ) qualis est Ars equestris , quæ vtitur frænis equorum : quare vt dantur disciplinæ quæ considerant voces , & aliæ quæ considerant res : debet dari aliqua disciplina , quæ occupetur in conceptibus mentis dirigendis : qualis est sola Logica : nomen Dialecticæ oritur à verbo διαλέγεσθαι quod significat differere , quia Logica tradit præcepta benè differendi , quatenus nos docet benè definire , diuidere , & argumentari : sed de hoc nomine in compendio dictum fuit . Tertium nomen quod tribuitur huic scientiæ , est organum , dicitur autem organum , quia nobis præbet modos sciendi qui sunt totidem organa ad acquirendas alias scientias in statu perfecto ; vbi notabis Logicam esse organum Philosophiæ , & etiam partem Philosophiæ ; organum inquam est Philosophiæ eximum & pernecessarium , ita vt liceat pronuntiare de Logica , quod Aristoteles dixit de manu lib . 4 . de part . anim . cap . 10 . eam esse ὄργανον περὶ ὄργανων , id est organum antè organa , porrò nominatur scientia rationalis 1° . ratione subiecti , quia insidet rationi , vt omnes alij habitus intellectuales . 2° . ratione objecti tractationis ( quod est ens rationis ) qua directuum , 3° . ratione objecti directionis , ( quod est opera-

tiones mentis) nam sibi proponit dirigere operations intellectus nostri. 4°. quia ea sola tradit præcepta bene ratiocinandi.

Logica definitur *scientia practica entis rationis directi iei mentis ut verum à falso distinguatur*: unde patet tria reperiri in definitione, sc. genus [quod est *scientia practica*] objectum [quod est *ens rationis directuum*] finis qui continetur in his verbis, *ut verum à falso distinguatur*: quare de genere, objecto, & fine Logicæ nobis est sigillatim agendum.

## CAPVT II.

### De genere Logice.

**S**V P R A diximus scientiam practicam esse genus Logicæ, quia verò scientia practica est species habitus mentis de habitibus mentis nobis est necessariò loquendum.

Habitus mentis est *qualitas veniens ab extrinseco qua facit mentem aptam ad bene & facile agendum*: diuiditur in *verum, falsum, & dubium*: habitus verus est ille qui semper inclinat mentem in verum: vocatur à Phil. l. 6. Eth. c. 2°. virtus intellectus; habitus falsus semper inclinat

mentem in falsum : qualis est habitus erroris, & nominatur à phil. vitium intellectus: dubius est ille qui inclinat mentem modò in verum modò in falsum qualis est opinio : & vocatur ab eodem facultas : habitus mentis verus siue virtus intellectus est quintuplex ex Phil. lib. 6. Ethic. cap. 3º. scilicet *intelligentia*, *sapientia*, *scientia*, *prudentia*, & *ars*: quam diuisionem probamus esse legitimam hoc argumento: tot sunt habitus mentis quot sunt objecta formalia & adæquata habitus mentis : atqui quinque sunt objecta formalia & adæquata habitus mentis , nec plura nec pauciora : ergo quinque sunt habitus mentis : minor patet nam primum objectum habitus mentis est *ratio*, id est prima principia , quæ vocantur communes notiones & circa illa versatur intelligentia. Secundū est, conclusiones certæ & euidentes quæ deducuntur ex præmissis certis & euidentibus circa illas versatur scientia. Tertium est res altissimæ ex altissimis causis deducendæ, & circa eas occupatur sapientia. Quartum est contingens practicum siue agibile, & illud considerat prudentia. Quintum & ultimum objectum est contingens effectibile & illud consideratur ab arte : sunt igitur quinque habitus mentis veri , quorum tres primi versantur circa

res necessarias , duo verò ultimi circa res contingentes.

Obijcies duplex est tantum objectum habitus intellectualis sc. necessarium vel contingens : ergo duplex est tantum habitus intellectualis. Respondeo distinguendo antecedens duplex est tantum objectum habitus intellectualis distinguo , in genere concedo ; in specie nego : sunt enim quinque in specie : vel ita distinguitur antecedens : duplex est tantum objectum habitus intellectualis distinguo objectum materiale concedo: objectum formale nego: est igitur duplex tantum objectum materiale , sed quintuplex est formale

### CAPVT III.

*Quid sit intelligentia , sapientia , scientia ,  
prudentia , & ars.*

**S**V P R A vidimus , quot sint habitus mentis , nunc videndum est quid sit unusquisque ex illis : vt autem intelligentiae naturam facilius intelligamus : prænotamus vocem intelligentiae , plures habere significationes , nam 1° aliquando significat Angelum , vt quando Phi-

Iosophus docet cœlos moueri ab intelligentijs.  
2°. designat aliquando animam rationalem, vt  
apud Philosophum lib. 1. De anim. cap. 2°.  
Vbi vocat animam intelligentem τὸν ροῦ 3°.  
intelligentia ponitur pro facultate intelligenti-  
di. 4°. nomen intelligentiæ designat intellec-  
tionem, verbi gratia quando dicimus Petrum  
habere intelligentiam hujus veritatis. 5°. &  
vltimò vox intelligentiæ denotat habitum  
circa principia communissima, & ita nunc  
vſurpatur, & definitur à philosopho, lib. 6.  
Ethicorum cap. 5°. ὑπόλεξις τῶν πρωτῶν, id  
est *comprehensio primorum principiorum*: vbi nota-  
bis principia complexa ( de quibus nunc ) esse  
duplia, alia simpliciter prima, & communi-  
nissima: alia vero sunt secundum quid prima  
& propria: principia simpliciter prima sunt ea  
quæ prima sunt omni respectu, qualia sunt ista,  
quodlibet est vel non est, de qualibet re vera  
est affirmatio, vel negatio, &c. Vocantur  
communissima, quia conueniunt omnibus  
scientijs, quatenus omnes scientiæ vtuntur  
illis principijs ab probanda sua principia pro-  
pria: præterea dicuntur communissima, quia  
cognita sunt ab omnibus hominibus: principia  
secundum quid prima sunt ea quæ sunt prima  
aliquo respectu tantum & in uno certo genere,

qualia sunt ista , quicquid constat ex materia & forma , est mobile : omne corpus naturale constat ex materiâ , & formâ , quæ sunt prima , in genere principiorum Physicorum : intelligentia autem est habitus principiorum , quæ sunt simplicitè prima.

Vox sapientiæ pluribus modis sumitur : 1°. pro omniscientia Dei quando Deus dicitur sapiens in Scripturis , 2°. usurpatur pro peritia cuiuslibet artis ut l. 6. Eth. c. 7°. vbi Ph. vocat Phidiam λιθουργὸν σοφὸν , id est sapientem marmorarium. 3°. sumitur pro virtute morali & ita vir probus solet nominari vir sapiens. 4°. & ultimò nomen sapientiæ significat habitum conflatum ex intelligentia & scientia,& in hac significatione nunc accipitur , & definitur à Phil. loco suprà laudato his verbis σοφία ὡς  
θεσμὸν καὶ ψέπτων πρωταρων , id est scientia & intelligentia rerum præstantissimarum : 1°. sapientia est intelligentia , quia sicut intelligentia contemplatur prima principia ita sapientia versatur circa principia absolutè prima. 2°. sapientia est scientia quia cognoscit [ sicut scientia ] certò & evidentè conclusiones eliciendas ex principijs , vnde facile intelligimus sapientiam distingui ab intelligentia, quia sapientia respicit conclusiones ut eliciendas ex prin-

cipijs, quas non considerat intelligentia. Scimus etiam sapientiam distingui à scientia: 1º. quia scientia versatur circa principia propria, sapientia circa communissima. 2º. scientia respicit conclusiones ut elicitas ex principijs, sapientia verò eas intuetur ut eliciendas. 3º. scientia est de rebus tum nobilibus, tum ignobilibus, sapientia verò est de rebus nobilissimus tantum, ut docet philosophus, vocans eam, scientiam rerum præstantissimarum, quare sapientia describi potest à nobis, *scientia altissima de rebus altissimis per altissima principia.*

Scientia definitur à Philosopho, lib. 5. Eth. cap. 5º. ἔχει δύναμιν, id est *habitus demonstrativus*: dicitur autem habitus demonstrativus, quia est cognitio certa & eidens acquisita per demonstrationem: à nobis verò definitur *cognitio certa & eidens rei necessariæ per causam necessariam*: 1º. dicitur cognitio ut distinguiatur ab ignorantia, quæ est non cognitio vel priuatio cognitionis: vndē vox illa legitime tenet locum generis, quandoquidem fungitur officio partialis alicujus differentiæ, quâ scientia distinguitur ab ignorantia. 2º. dicitur certa, ut distinguiatur ab opinione, quæ est cognitio dubia. 3º. dicitur eidens, ut distinguiatur à fide, quæ est cognitio certa ineui-

dens. 4°. additur rei necessariæ , vt excludantur prudentia & ars , quæ sunt cognitiones certæ & euidentes rei contingentis non necessariæ , nam prudentia versatur circa contingens practicum , ars verò circa contingens effectibile ; subjungitur per causam necessariam , vt differat ab intelligentiâ , & sapientiâ , quarum quælibet est cognitio certa & euidens rei necessariæ , sed non per causam necessariam , quia licet sapientia versetur circa res altissimas per altissimas causas non tamen versatur circa illas vt elicitas , ex causis , [ sicut scientia ] vt suprà obseruauimus.

Obijcies duæ species oppositæ non sunt in vna tertia specie sibi opposita : atqui intelligentia & scientia sunt duæ species oppositæ & sapientia est vna tertia species illis opposita: vt patet ex superiori diuisione habitus in *intelligentiam* , *sapientiam* , *scientiam* : &c. Ergo intelligentia & scientia non sunt nec esse possunt in sapientia , major patet nam verbi gratia leo & canis non continentur in equo. Respondeo distinguendo majorem , duæ species non sunt in vna tertia specie sibi opposita : distinguo non sunt formaliter , concedo : non sunt materialiter & eminenter nego : intelligentia autem & scientia continentur materia-

litter & eminenter in habitu sapientiae: unde sapientia dicitur intelligentia & scientia, quia est utraque materialiter, sed neutra est formaliter: exemplum habemus innumeratò in ipso numero nam numerus quinarius dici potest binarius & ternarius quia utrumque continet materialiter: neutrum tamen includit formaliter.

Prudentia definitur *habitus practicus circa ea quae sunt homini bona vel mala moraliter*; qualia bona sunt venerari parentes; dare eleemosynam.

Ars bene definitur à Ph. I. 6. Eth. c. 4º. οὐδὲ μὴ τὸ λόγος αληθεῖς ποιεῖν, id est *habitus cum vera ratione effectius*: quæ definitio artis est verè secundum artis præcepta, quandoquidem constat genere [ quod est habitus ] & differentia quæ continetur in reliquis verbis, ex qua definitione patet objectum artis esse non effectibile.

## CAPVT IV.

*Vtrum Logica sit intelligentia, sapientia vel prudentia.*

**Q**VI intelligunt Logicæ naturam facile intelligunt ex prædictis Logicam non esse

esse intelligentiam. 1°. quia intelligentia versatur circa principia absolute prima & dignissima , Logica vero non versatur circa principia absolute prima & dignissima , ergo Logica non est intelligentia. 2°. intelligentia facili negotio acquiritur , acquiritur enim præuijs sensibus judicantibus , verbi gratia , hoc totum esse majus sua parte , illud totum esse majus sua parte , &c. Atqui Logica facili negotio non acquiritur , ergo Logica non est intelligentia.

Obijcies : cognitio generalissimorum principiorum est intelligentia : atqui Logica est cognitio generalissimorum principiorum : ergo Logica est intelligentia , probatur minor definitio , diuisio , & argumentatio sunt principia generalissima , atqui Logica est cognitio definitionis , diuisionis & argumentationis: ergo est cognitio generalissimorum principiorum : major patet nam definitio , diuisio , &c. Vsum habent in omnibus scientijs. Respondeo ad maiorem cum hac distinctione , cognitio generalissimorum principiorum est intelligentia , distinguo : cognitio generalissimorum principiorum absolute primorum & per se notorum , concedo : cognitio generalissimorum principiorum secundum quid primorum , &


quæ per se non sunt nota , nego : Logica autem versatur circà posteriora ista principia: ubi nota principia quæ considerantur ab intelligentia , dici *absolutè prima*: quia nulla habent principiâ priora , & sunt prorsùs indemonstrabilia a priori : quale est istud , omne totum est maius sua parte : dicuntur *per se nota* quia ex sola apprehensione terminorum sine difficultate cognoscuntur. 2°. negamus Logicam esse sapientiam ( non tamèn negamus omnem Logicum esse sapientem , quia nosmetipsos sapientes esse negaremus ) quia , sapientia est cognitio rerum præstantissimarum : Logica verò est cognitio entis rationis , cuius minima est præstantia : sapientia est habitus conflatus ex intelligentia & scientia : Logica verò , non est talis habitus , ac proinde Logica non est sapientia.

Obijcies , sapientia versatur circà res difficilimæ ut sapientè docet Philosophus , lib. I. Metaph. cap. 2°. atqui Logica versatur circà res difficillimas : ergo Logica est sapientia: Respondeo 1°. argumentum peccare secundum formam , quia concludit ex duabus affirmantibus in secunda figura. Respondeo 2°. aliquid esse difficile dupli de causa , vel ob maximam sui excellentiam , & ita Deus &

Angelus sunt difficiles cognitu: vel ob minimam sui entitatem , & ita materia prima , punc-  
tum , ens rationis , sunt difficultia cognitu : vnde patet causam difficultatis cognoscendi , aliquando esse in rebus: aliquando in nobis : est in  
rebus quando res sunt difficiles cognitu ab minimam suam entitatem: est verò in nobis quando res sunt difficiles cognitu ab maximam suam  
præstantiam : vnde ad argumentum sapientia  
versatur circà res difficillimas, distingo, diffi-  
cillimas ab maximam suam excellentiam, con-  
cedo : difficillimas ab minimam suam entita-  
tem , nego : Logica autem versatur circà res  
difficillimas ab minimam suam entitatem.

3º. Qui judicant Logicam esse prudentiam,  
prudenter non judicant: quia prudentia , vel  
est virtus moralis , vel saltèm sempèr habet vir-  
tutem moralem comitem: vndè Phil. I. 6. Eth.  
cap. 13. docet aliquem non posse esse pruden-  
tem , quin sit continuò vir bonus , his verbis  
*αδωάτον φρονιμὸν μὴ ὄντα αἰγαδὸν*, id est impossibi-  
le est aliquem esse prudentem , & non esse virum  
bonum , atqui Logica neque est virtus moralis  
nec sempèr habet virtutem moralem comitem:  
ergo Logica non est prudentia: idcirco à Logi-  
câ nemo dicitur bonus moraliter sed solers,  
vel acutus.

Obijcies, omnis habitus practicus circà ea quæ sunt homini bona vel mala est prudentia: atqui Logica est habitus practicus circà ea quæ sunt homini bona vel mala: ergo Logica est prudentia. Respondeo distinguendo majorēm habitus practicus circà ea quæ sunt homini bona vel mala, est prudentia: distinguo: si sint bona vel mala moraliter, concedo: si sint bona vel mala naturaliter, nego: Logica autem versatur circà ea quæ sunt homini bona vel mala naturaliter, scilicet circà veritates, quarum cognitio bonum est naturale intellectus, sed non morale.



## CAPVT V.

### *Vtrum Logica sit ars.*

**V**I D I N V S suprà Logicam non esse intelligentiam, sapientiam, vel prudentiam, nunc diligenter quærendum est, vtrum Logica sit ars, quia de hoc habitu maxima lis est inter Philosophos: plurimi enim cupientes artifices nominari contendunt Logicam esse artem: vt autem hæc quæstio breuiter & clare expediatur.

Prænotamus votem artis sumi tribus modis,  
 (ut docet Quintilianus in institutionibus suis)  
 scilicet latissimè & maximè impropiè, latè, &  
 strictè: latissimè sumpta prout opponitur naturæ, significat omnem scientiam siue specula-  
 tuam, siue practicam: hoc modo sumitur apud  
 Phil. lib. 1. Met. cap. 1°. Vbi vocat Mathema-  
 ticas scientias, artes: *τέλοις μαθημάτων οὐεστόντων*, id est circa Ægyptum  
 Mathematicæ, artes 1°. constitutæ sunt: eo-  
 dem modo usurpatur in hac diuisione artium  
 quæ continetur his versiculis.

*Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus,*  
*astra,*

*Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber.*

Ars late sumpta prout opponitur scientijs  
 speculatiuis significat omnem habitum pra-  
 cticum, siue sit scientia, siue prudentia: vnde  
 prudentia dicitur ars bene viuendi. Strictè  
 sumpta prout opponitur omni habitui siue spe-  
 culatiuo, siue pratico, designat habitum effec-  
 tiuum qui distinguitur ab omni alio habitu,  
 scilicet ab intelligentia, sapientia, scientia, &  
 prudentia, quo sensu nunc usurpatur, & defini-  
 nitur à Phil. lib. 6. Eth. cap. 4. *ἐξειργόμενον*, id est habitus cum vera ratio-  
 ne effectiuus: quia vero definitio, & definitum

reciprocantur, idcirco benè docet eodem loco nullam esse artem quæ non sit habitus effectibus, & nullum esse habitum effectuum qui non sit ars: in qua definitione tres sunt particulæ prima est *habitus*, ( de quo suprà ) secunda est *vera cum ratione*, vbi obserua artem dici habitum cum vera ratione, 1º. quia inhæret rationi tanquam suo subjecto. 2º. quia ratio est principium dirigens omnem operationem artis per præcepta quæ traduntur in arte. 3º. quia omnis ars est ex sua essentia, *effectiva*, nam ibi vox *rationis* pro essentia ponitur ( vt sæpè alibi : ) vt igitur clare nobis pateat natura artis, necesse est vt videamus quid sit nō effectibile: & quid sit effectio: effectibile, igitur ( quod est objectum artis ) est necessariò singulare: vt probatur sequenti: bus rationibus: 1º. omne effectibile per se est singulare, atqui objectum artis est effectibile per se, ergo objectum artis est singulare: probatur major quicquid terminat primariò & per se operationem est singulare, atqui omne effe: ctibile per se terminat primariò & per se ope: rationem, scilicet effectiōnem, nam cum sit effectibile per se efficitur per se, ergo omne effectibile per se est singulare: minor autem prioris argumenti patet nam cum ars sit habi-

tus per se effectiuus necessariò versatur circà objectum effectibile per se , si enim foret effectibile per aliud , ars esset effectiva per aliud.  
2º. vel objectum artis est vniuersale , vel singulare , atqui non est vniuersale , ergo est singulare : probatur minor , omne vniuersale fit per aliud , atqui objectum artis non fit per aliud, sed per se : ( vt suprà ) ergo objectum artis non est vniuersale. Prætereà objectum artis est contingens vt docet Phil. lib. 6, Eth. cap. 4. Vbi dicit omnem artem versari circà τὸ διάνοιαν οὐδὲ μη τὴν εἰράτην , id est id quod contingit esse & non esse , & confirmatur hoc argumento: quod potest esse & non esse est necessariò contingens : atqui objectum artis potest esse & non esse , quia potest effici vel non effici. Ergo objectum artis est necessariò contingens : circà naturam effectioñis maxima lis est inter Philosophos : prima opinio fuit Thomæ Aquinatis qui definiuit effectioñem operationem quæ relinquit post se opus sensibile : sed cum ejus bona venia peccat hæc definitio , quia non conuenit omni effectioñi quandoquidem cantio & saltatio quæ sunt effectioñes artis , non relinquunt post se opus sensibile. Respondent nonnulli cantionem & saltationem relinquere post se opus sensibile , scilicet cantionem relinquere animum

placidum : & saltationem , relinquere robur  
in corpore : sed hæc responso mera est cantio,  
& argumenti saltatio non solutio. 1°. quia ani-  
mus placidus non est opus sensibile, ac proinde  
cantio quæ est effectio non relinquit post se  
opus sensibile: saltatio verò non semper relin-  
quit robur in corpore, 2°. vel relinquere opus  
sensibile est aliquid essentiale effectioni , vel  
aliquid accidentale : si aliquid essentiale omnis  
effectio semper relinquet post se opus sensibi-  
le ( quod esse falsum patet ex prædictis ) si ve-  
rò relinquere opus sensibile , sit aliquid acci-  
dентale effectioni , malè definitur effectio cum  
definiatur per aliquid sibi accidentale. Secun-  
da sententia fuit Balphourei qui alias Philo-  
sophiam docuit Burdigalæ : voluit autem effe-  
ctionem esse *actionem immanentem vel transeun-  
tem quæ estimatur , ex peritia vel imperitia agen-  
tis* : qua definitione se imperitum ostendit Bal-  
phoreus , nam omnis effectio semper est ope-  
ratio emanans. Primo quia omnis effectio est  
ad perficiendum opus externum , non verò  
est ad sui perfectionem ac proinde omnis effe-  
ctio est transiens. Secundo quia omnis ars  
dicitur esse principium operationis transeuntis  
non immanentis : Philosophus enim distinguit  
naturam ab arte , quatenus natura est princi-

pium motus ejus in quo est , ars verò est princi-  
pium motus ejus in quo non est , ac proinde  
producit motum in subiecto externo , & extra  
se. 3° . si effectio esset operatio immanens ani-  
mæ rationali , ars foret in effecto atqui ars non  
est in effecto , ergo effectio non est operatio im-  
manens , consequentia majoris patet si enim  
effectio maneret in anima rationali , effectum  
quod producitur per illam maneret etiam in  
anima rationali , & sic ars & effectum forent si-  
mul in anima rationali , quæ verò sunt in indi-  
uisibili sunt in se inuicem atqui ars & effectum  
( hoc posito ) sunt in indiuisibili , scilicet in  
anima rationali , ergo ars & effectum sunt in se  
inuicem ac proinde ars est in effecto : minor au-  
tèm primi argumenti probatur ex Ph. l. 6. Eth.  
c. 4. Vbi habet hæc verba οὐχιν ἐγώ ποιεῖθι  
ἀλλὰ μὴν καὶ τῷ ποιεύμενῳ , id est ars in efficiente ,  
sed non in effecto . Nostra igitur sententia est ef-  
fectionem esse operationem emanantem , habentem  
finem à se diuersum , & a qua nemo bonus , vel ma-  
lus moraliter dicitur : nec debet obijci Phil. lib. i.  
Mag. Mor. c. vlt. docere dari artē cuius actio est  
immanēs : nam ibi vocabulū artis latē sumitur ,  
& significat omnem habitum practicum : vnde  
patet effectionem distinguī à praxi : 1° . quia om-  
nis effectio est semp̄ transiens , praxis verò ali-

quando est immanens : 2°. omnis effectio habet finem à se diuersum , praxis verò non habet finem à se diuersum , sed pro fine habet sui ipsius perfectionem : 3°. ab effectione nemo vñquam dicitur bonus vel malus moraliter , à praxi verò aliquando homò denominatur bonus , vel malus moraliter , quare praxis potest definiri : *operatio animæ rationalis habens pro fine ipsius animæ perfectionem respiciens opus.*  
 1°. dicitur *operatio animæ rationalis* : vt sciamus praxim non posse conuenire brutis : 2°. additur *habens pro fine perfectionem ipsius animæ* , vt distinguatur ab effectione quæ non habet pro fine animæ rationalis perfectionem , sed pro fine habet perfectionem operis externi , imò praxis habet pro fine sui ipsius perfectionem ita vt praxis prout bona , sit sui finis vt docet Phil. lib. 6. Eth. cap. 5°. his verbis οὐδεὶς τὸ τέλος , id est ipsa bona actio est finis.  
 3°. subjungitur *respiciens opus* , vt distinguat à speculazione quæ per se non respicit opus.  
 His prænotatis. Respondemus negatiuè quæstioni , negamus scilicet Logicam esse artem strictè sumpto vocabuloartis , prout ars significat habitum sua natura effectuum , & sententiam nostram probamus his argumentis.  
 1°. Omnis ars versatur circà singulare , (vt

suprà probatum suit) atqui Logica non versatur circà singulare, ergo Logica non est ars. Probatur minor, definitio, diuisio, & argumentatio sunt ea circà quæ Logica versatur, atqui definitio, diuisio, & argumentatio, non sunt singularia, ergo ea circà quæ Logica versatur non sunt singularia, confirmatur minor, quæ prædicantur de pluribus individuis in quid, non sunt singularia, atqui definitio, diuisio & argumentatio, prædicantur de multis individuis in quid, ergo non sunt singularia: minor patet, nam quærenti quid est hæc vel illa definitio, benè respondeatur est definitio, & ita de alijs: vndē patet, definitionem, diuisionem, & argumentationem, prædicari de multis individuis in quid,

2º. *Omnis ars habet per se effectiōem, atqui Logica non habet per se effectiōem, ergo Logica non est ars:* major patet nam cum ars sit habitus per se effectiūs necessariò habet per se effectiōem: probatur autem minor, omnis effectio est operatio externa & sensibilis, atqui Logicanon habet operationē externam & sensibilem, ergo Logica non habet effectiōem: probatur minor, operatio intellectus non est externa & sensibilis, atqui operatio Logicæ est operatio intellectus, ergo operatio Logicæ

non est externa & sensibilis: major patet nam  
omnis actus intellectus est immanens: minor  
etiam liquet, nam omnis operatio Logicæ est  
vel definitio mentalis, vel diuisio mentalis, vel  
argumentatio mentalis, quæ sunt operationes  
intellectus.

Respondent aduersarij, distinguendo majo-  
rem secundi argumenti, omnis effectio est ope-  
ratio externa & sensibilis, distinguunt si sit effe-  
ctio artis quæ versatur circà materiam exter-  
nam, qualis est ars scribendi, concedunt: si sit  
effectio artis quæ versatur circà materiam in-  
ternam scilicet circà materiam quæ est in in-  
tellectu negant sed contra hanc responsonem  
dico 1°. eam esse petitionem principij quia  
supponit (tanquam concessum) dari artes quæ  
versantur circà materiam internam, quod ta-  
men vehementer negamus. 2°. facta inductio-  
ne omnium artium patet nullam esse quæ ver-  
satur circà materiam internam, nam Rethori-  
ca respicit orationem vocalem quatenus or-  
nandam: Grammatica considerat sermonem  
vocalem quatenus congruitate donandum: Pœ-  
tica versatur circà carmina vocalia non men-  
talib[us], mentalia enim vtpotè spiritualia non  
sunt quanta vel extensa: artes canendi & fal-  
tandi habent etiam operationes externas &

sensibiles, & sic de cæteris: si verò aduersarij assignent Logicam, tanquam artem quæ versatur circà materiam internam, non Logicè sed sophisticè hoc faciunt, quandoquidem hæc assignatio mera est petitio principij, cum controuertatur an Logica sit ars necne: & hac assignatione supponunt Logicam artem quod negamus. 3º. omnis ars ex Phil. lib. 2. Phy. cap. 1º. est principium operandi in alio, siue in subjecto sibi externo: nam ibi loci Phil. distinguit naturam ab arte in eo quod natura sit principium motus ejus in quo est, ars verò sit principium motus ejus in quo non est, ac proinde ejus extra quod est, & subjecti sibi externi: vnde clarum est omnem artem respicere materiam externam.

Obijcitur 1º. habitus qui versatur circà ea quæ possunt esse & non esse est prudentia, vel ars, atqui Logica est habitus qui versatur circà est quæ possunt esse & non esse: ergo Logica est prudentia, vel ars: non est autem prudentia, ac proinde est ars: probatur minor entia rationis possunt esse & non esse, quia possunt fieri & non fieri à nobis liberè operantibus: atqui entia rationis sunt ea circà quæ Logica versatur: ergo Logica versatur circà ea quæ possunt esse & non esse. Respondeo distinguendo

majorem posterioris argumenti : entia rationis possunt esse & non esse , distinguo singularia, concedo , entia rationis vniuersalia , nego: entia autem rationis vniuersalia sunt objectum Logicæ , non singularia : vel ita distinguo entia rationis possunt esse & non esse distinguo, secundum existentiam concedo : secundum essentiam nego : considerantur autem à Logica secundum essentiam.

Obijcitur 2°. habitus qui versatur circà contingens est ars : atqui Logica est habitus qui versatur circà contingens : ergo Logica est ars, probatur minor omne opinabile est contingens : atqui Logica versatur circà opinabile: ergo Logica versatur circà contingens: minor patet. Nam in parte Topica considerat syllogismum opinabilem. Respondeo 1°. distinguendo majorem primi argumenti, habitus qui versatur circà contingens est ars , si versetur per se & sua natura concedo ; si versetur circà contingens per accidens, nego : Logica autem considerat contingens, siue syllogismum opinabilem per accidens , quatenus opponitur syllogismo necessario & demonstratiuo quem demonstratiuum Logica per se considerat. Respondeo 2°. ad majorem cum alia distinctione habitus qui versatur circà contingens est ars,

distinguo si non versetur necessariò demonstratiuè & scientificè circà illud : concedo , si ver-  
setur necessariò demonstratiuè & scientificè  
circà illud nego : Logica autem versatur circà  
contingens , siue circà res opinabile demon-  
stratiuè & scientificè , tradendo propositiones  
scientificas & demonstrationem de illis ut pa-  
tet hac demonstratione , omnis syllogismus  
qui constat ex probabilibus est aptus ad gi-  
gnendam opinionem : atqui syllogismus opini-  
nabilis est syllogismus qui constat ex probabi-  
libus : ergo syllogismus opinabilis est aptus ad  
gignendam opinionem.

Obijcitur 3°. Philosophus vocat Logicam  
artem lib. 2°. Elench. Soph. cap. vlt. ergo  
Logica est ars. Respondeo 1°. Phil. eodem  
loco vocare sutoriam, scientiam quis tamen di-  
xerit sutoriam esse scientiam. Respondeo 2°.  
Logicam vocari artem latè sumpto artis voca-  
bulo , quatenus significat omnem habitum siue  
practicum, siue effectuum : non verò strictè &  
propriè sumpto vocabulo artis.

Obijcitur 4°. omnis habitus effectiuus est  
ars , atqui Logica est habitus effectiuus : ergo  
Logica est ars. Probatur minor habitus qui  
efficit est habitus effectiuus : atqui Logica est  
habitus qui efficit : ergo Logica est habitus

effectiuus, minor patet nam lib. 2. pr. Anal. cap. 5°. Logicus dicitur πολεῖν τὸν συλλογισμόν, id est efficere syllogismum. Respondeo verbum πολεῖν sumi tribus modis: scilicet latissimè, late & strictè: latissimè sumptum significat valere, vndè apud Græcos dicebatur ἡ πολεῖς, id est quomodo vales: latè sumptum significat agere quo sensu ponitur c. 13. Eu. secundùm Math. vbi homines dicuntur πολεῖν τὴν αἰρετίαν id est agere iniquitatem. Vbi πολεῖν non potest significare effectiōem, quia ab effectiōne nemo dicitur bonus, vel malus moraliter, à productione verò peccati homo dicitur semper malus moraliter, quare productio peccati non dicitur effectiō, sed actio: strictè & propriè sumptum significat efficere, vel exercere operationem externam & sensibilem, vndè ad argumentum Logicus efficit syllogismum, distinguo latè sumpto vocabulo efficiendi concedo, strictè & propriè sumpto vocabulo efficiendi, nego.

Dices atqui Logica efficit strictè & propriè sumpto vocabulo efficiendi: ergo nulla solutio. Probatur antecedens quidquid habet effectiōnem propriè dictam, efficit propriè sumpto vocabulo efficiendi: atqui Logica habet effectiōnem propriè dictam: ergo Logica efficit, propriè

propriè sumpto vocabulo efficiendi. Probatur minor quidquid habet operationem externam & sensibilem à qua nemo dicitur bonus , vel malus moraliter , habet effectionem propriè dictam ; atqui Logica habet operationem externam & sensibilem à qua nemo dicitur bonus, vel malus moraliter : ergo Logica habet effectionem propriè dictam , minor patet. Nam Logica producit syllogismum vocalem & scriptum quæ productio syllogismi vocalis est operatio externa & sensibilis à qua nemo dicitur bonus vel malus moraliter. Respondeo Logicam habere operationem externam & sensibilem , scilicet productionem syllogismi vocalis , vel scripti per accidens logici volentis communicare alteri ea quæ habet in animo, sed non per se & sua natura , quia sua natura considerat syllogismum mentalem tantum unde non sequitur Logicam esse artem.

## CAP VT VI.

*Vtrum Logica sit scientia propriè dicta.*

**Q**UANDO QVIDEM Logica nec est intelligentia, neque sapientia, neque prudentia,

E

neque ars: necessariò sequitur eam esse scientiam: sed ut hæc veritas clarius elucescat quædam nobis sunt prænotanda: 1°. videbimus quot modis sumatur vocabulum scientiæ: 2°. quid sit scientia propriè dicta: 3°. & ultimò quid sit demonstratio quæ ingreditur definitionem scientiæ tanquam ejus differentia specifica.

Notamus igitur 1°. vocem scientiæ usurpari tribus modis, scilicet latissimè, latè, & strictè: scientia latissimè sumpta prout opponitur naturæ significat omnem habitum siue practicum, siue effectuum, hoc sensu sumitur apud Phil. lib. 2. Elench. Soph. cap. vlt. vbi vocat Sutoriam ~~διπλίου τελού μηδέν πονεῖν τάς πόδας,~~  
id est scientiam nequid laborent pedes: latè sumpta prout opponitur arti propriè dictæ & prudentiæ significat cognitionē certam & euidentem rei necessariæ, siue sit per causam siue non: & hoc sensu intelligentia & sapientia possunt dici scientia, vndè Philosophus vocat notitiam primorum principiorum *scientiam* lib. II. post. Analyt. cap. 3°. scientia strictè sumpta prout opponitur non modo arti & prudentiæ, sed etiam intelligentiæ & sapientiæ, definitur à Philosopho *habitus demonstratiuus*: (vt supra vidimus) à nobis vero *cognitio certa, euidentis, rei*

*necessariae per causam necessariam: & hoc ultimo modo nunc usurpatum dum quæritur utrum Logica sit scientia.*

Demonstratio à priori (de qua nunc) vocatur syllogismus scientificus, quia nos facit scire, vel scientiam gignit: ut hac demonstratione demonstratur; omne rationale est risibile: atqui omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis: nam præmissæ hujus demonstrationis, quæ sunt principia scientifica, gignunt cognitionem hujus conclusionis: ergo omnis homo est risibilis: quæ cognitionis conclusionis est cognitionis certa & eidens rei necessariæ per causam necessariam, scilicet per principia quæ continentur in præmissis, ac proinde est verè scientia: ubi aduerte, cognitionem principiorum in demonstratione, esse scientificam, quia scientiam gignit scilicet cognitionem conclusionis: cognitionem vero conclusionis esse cognitionem scientialem siue cognitionem quæ est ipsa vera scientia: vnde patet eos errare qui volunt omnem cognitionem scientificam acquiri per aliam cognitionem priorem & superiorem, nam cognitionis principiorum est scientifica, quis tamen dixerit eam acquiri per aliam priorem & superiorem? Sed verum est omnem cognitionem scienti-

tialem siue quæ est ipsa scientia , acquiri per aliam cognitionem priorem & superiorem, scilicet per cognitionem scientificam principiorum : demonstratio autem tribus constat partibus , scilicet *principiis* : *subiecto scibili* : & *proprietate* : principia dicuntur *tae æḡra* id est prima, quia non habent aliquid seipſis prius, & non possunt demonstrari à priori: ubi intellegi debent principia propria cuiuslibet scientiæ , non vero principia communissima , quæ sunt objectum intelligentiæ : qualia principia sunt ista principia Logicæ, omne vnum aptum inesse multis est aptum prædicari de multis, emnis oratio explicans naturam rei est apta ad manifestandam rem , &c. Subjectum demonstrationis est *nō scibile* , quod dicitur subjectum, quia subiicitur proprietatibus quæ demonstrantur de illo per causas necessarias: proprietas quæ est tertia & ultima pars demonstrationis, demonstratur de illo subiecto scibili per principia , sed quia de subiecto scibili ( quod est objectum scientiæ ) nobis plenius incumbit agendum.

Dicimus subiectum scibile vel objectum scientiæ habere quatuor conditiones: 1°. debet esse necessarium: 2°. est ingenerabile: 3°. incorruptibile: 4°. & ultimò debet esse æternum

vt docet Phil. lib. 6. Eth. cap. 3<sup>o</sup>. 1<sup>o</sup>. debet esse necessarium, vbi obserua aliquid esse ne-  
cessarium duobus modis: vel secundum essen-  
tiam, vel secundum existentiam: necessarium  
secundum existentiam est illud quod nullo mo-  
do potest non existerē, quare Solus Deus est  
necessarius secundum existentiam: necessarium  
secundum essentiam est illud quod non potest  
non habere suam essentiam, verbi gratia homo  
est necessarius secundum essentiam, quia nul-  
lmodo potest fieri, vt homo non habeat hanc  
essentiam, scilicet *animal rationale*: non est au-  
tem necessarium, vt objectum scientiæ sit  
necessarium secundum existentiam, sed sufficit  
modò sit necessarium secundum essentiam. 2<sup>o</sup>.  
objectum scientiæ debet esse ingenerabile, vbi  
aduertere aliquid esse ingenerabile dupliciter,  
vel simpliciter & absolutè, vel secundum quid  
& comparate: ingenerabile simpliciter & ab-  
solutè, est illud quod nullo modo potest pro-  
duci, neque per se neque per aliud, neque pri-  
mariò, neque secundariò, hoc modo Solus  
Deus est ingenerabilis siue improductibilis: in-  
generabile secundum quid & comparate est  
illud quod aliquomodo non potest produci, sci-  
licet per se, potest tamen pròduci per aliud &  
secundariò, hoc modo res vniuersales sunt in-

generabiles , quia per se non producuntur, nec possunt produci , producuntur tamen per res singulares in quibus sunt: objectum autem scientiae est ingenerabile secundum quid & comparare non vero simpliciter & absolutè ( si unicum Deum exceperis ) 3°. dicitur incorruptibile non simpliciter & absolutè , quasi nullo modo posset corrumpi , neque per se neque per aliud, neque primariò, neque secundariò, sed est incorruptibile secundū quid tantum ( excepto Solo Deo ) quatenus per se non potest corrumpi, et si de cætero corruptatur per singularia in quibus est. 4°. & vltimò objectum scientiae dicitur æternum , vbi nota aliquid dici æternum duobus modis: vel positiuè, vel negatiuè: æternum positiuè est illud quod existit positiuè ab æterno , & hoc modo Solus Deus est æternus: æternum negatiuè est illud quod per se neque habet principium neque finem , licet habeat principium & finem per aliud, vel saltem finem habere possit: & ita res vniuersales sunt æternæ , quia per se nec oriuntur , nec moriuntur vel intereunt : sed oriuntur & intereunt per res singulares ; vnde dicitur æternum negatiuè: quia per se neque principium neque finem habet ; omne autem objectum scientiae est æternum negatiuè , nullum vero objectum scien-

tiæ est æternum positum, præter Solum Deum. His prænotatis respondemus quæstioni affirmatiue, affirmantes Scil. Logicam esse scientiam propriè dictam, quod probamus his argumentis.

1º. Omnis habitus mentis ( scilicet verus ) est vel intelligentia , vel sapientia , vel scien-  
tia , vel prudentia , vel ars : ( vt suprà ) atqui Logica est habitus mentis verus , & nec est intelligentia , nec est sapientia , nec est prudentia , neque ars : ( vt suprà vidimus ) ergo est scientia.

2º. Omnis cognitio certa & euidens rei necessariæ per propriam causam est scientia propriè dicta : ( nam hæc est definitio scientiæ ) atqui Logica est cognitio certa & euidens rei necessariæ per propriam causam : ergo Logica est scientia propriè dicta : probatur minor, nam Logica cognoscit definitionem esse clariorem suo definito , per hanc propriam causam , quia explicat ejus naturam: diuisionem tollere confusione , quia distribuit totum in partes: demonstrationem producere scientiam, quia constat ex propositionibus veris , necessariajs , primis : &c. Syllogismum topicum esse aptum ad gignendam opinionem , quia constat

ex probabilibus , &c. Certum est igitur & euidentis, Logicam esse cognitionem certam & euidentem rei necessariæ per propriam causam, ac proinde esse scientiam propriè dictam.

Respondent 1º. aduersarij scientiam propriè dictam esse cognitionem rei per propriam causam realem & positiuam : Logicam vero esse cognitionem rei per propriam causam rationis, non vero per propriam causam realem, quia quidquid consideratur a Logica est ens rationis, vel aliquid entis rationis , ( scilicet ex nostra sententia, ) sed contra dico 1º. aduersarios petere principium & confugere ad controversum tanquam claudos ad equum ; disputamus enim utrum omnis scientia sit cognitio rei per propriam causam realem & positiuam, quod negamus. 2º. datur scientia quæ est cognitio rei necessariæ per causam rationis, scilicet Metaphysica quæ certò & euidenter cognoscit immutabilitatem Dei per ejus simplicitatem, tanquam per causam non realem, sed rationis, nam simplicitas Dei non est causa realis ejus immutabilitatis, sed est causa rationis ; quia concepitur à nobis tanquam causa quod patet in hac demonstratione , omne simplicissimum est immutabile, atqui Deus est simplicissimus, ergo Deus est immutabilis. Dico

3º. vocabulum reale sumi dupliciter vel latè & impropriè , vel strictè propriè ; sumptum priori modo significat id omne quod non est merum figmentum , & habet fundamentum in res quo sensu ens rationis Logicum est reale : reale verò sumptum posteriori modo significat id omne quod est posituum , vel ponit perfectionem in natura rerum ; quo sensu homo est ens reale ; præmissa hac distinctione dicimus omnem scientiam esse cognitionem rei per causam realem quatenus nō reale sumitur latè , & significat id omne quod non est purè fictitium , sed habet fundamentum in re ; negamus verò omnem scientiam esse cognitionem rei per causam realē , quatenus nō reale sumitur strictè , & significat id omne quod est posituum : Logica autem est cognitio rei per causam realem , prout nō reale sumitur priori sensu ac proinde est scientia propriè dicta .

3º. Omnis habitus demonstratiuus est scientia propriè dicta . ( Nam ut suprà vidimus scientia definitur *habitus demonstratiuus* ) atqui Logica est habitus demonstratiuus : ergo Logica est scientia propriè dicta . Probatur minor habitus qui habet ex se veras demonstrationes , est habitus demonstratiuus : atqui Logica est habitus qui habet ex se veras demon-

strationes: ergo Logica est habitus demonstratiuus. Probatur minor hæ demonstrationes sunt veræ tam ratione materiæ, quam ratione formæ: omne vnum aptum in esse multis, est aptum prædicari de multis: atqui omne vniuersale est vnum aptum in esse multis: ergo omne vniuersale est aptum prædicari de multis. Omnis oratio explicans naturam definiti, est clarior suo definito: atqui omnis definitio est oratio explicans naturam definiti: ergo omnis definitio est clarior suo definito: atqui Logica habet ex se has demonstrationes: ergo Logica habet ex se demonstrationes veras tam ratione materiæ quam ratione formæ: major patet nam ut demonstratio sit vera tria sufficiunt scilicet *subjectum scibile: principia: & proprietas*: subjectum de quo sit demonstratio: principia per quæ aliquid demonstratur: proprietas quæ demonstratur de subjecto per principia: hæc autem tria reperiuntur in prædictis demonstracionibus, nam in priori demonstratione nō vniuersale est subjectum, hæ præpositiones omne vnum aptum in esse multis est aptum prædicari de multis: vniuersale est vnum aptum in esse multis sunt principia; aptitudo verò prædicandi de multis est proprietas quæ demonstratur de vniuersali. In posteriori demonstratione

subjectum est definitio ; principia sunt ambæ præmissæ ; proprietas est nō esse clariorem definito.

Respondent aduersarij 1°. subjectum veræ demonstrationis, debere esse necessarium non contingens , & dependens à nobis liberè operantibus , vniuersale , verò *definitionem* , &c. Esse res contingentes , & dependentes à nobis liberè operantibus. Respondent 2°. principia in vera demonstratione esse causam non tantum consequentiæ , sed etiam consequentis , siue rei quæ infertur in conclusione , quæ est proprietas demonstrata de subjecto : dicunt autem principia in prædictis demonstrationibus non esse causam consequentis. Respondent 3°. objectum scientiæ , vel subjectum veræ demonstrationis ; debere esse ens simplicitè , non verò ens secundum quid , quale est ens rationis , quod est subjectum Logicæ. Respondent 4°. subjectum veræ scientiæ semper esse ens reale , & ens extra animum existens : quod intendunt probare ex Phil. lib. 2. post Anal. c. vlt. vbi dicitur scientiam versari ~~et~~ nō ~~et~~ , id est , circà ens : ens rationis verò ( quod est objectum Logicæ ) non esse ens reale , & ens extra animum existens , quas omnes responsiones jam refellimus : contra primam dicimus vni-

uersale & definitionem, &c. Posse considerari, vel in singulari, pro hoc vel illo vniuersali, pro hac vel illa definitione, vel in communi: sumpta in singulari sunt res contingentes, & dependent à nobis liberè operantibus; quatenus à nobis fieri possunt, & non fieri; sumpta vero in communi sunt res necessariæ: Logica autem versatur circa vniuersale, definitionem, &c. Sumpta in communi, non sumpta in singulari: vel dico vniuersale definitionem, &c. Esse res contingentes secundum existentiam, sed non secundum essentiam: considerantur autem à Logica secundum essentiam, contrà secundam responsionem dico principia in prædictis demonstrationibus esse causam consequentis, siue proprietatis quæ demonstratur de subjecto in conclusione: verbi gratia aptitudo in essendi multis, est causa à qua fluit aptitudo prædicandi de multis: unde vulgo dicitur, modus prædicandi sequitur modum in essendi, & ex eo quod definitio sit explicans naturam definiti, sequitur eam esse clariorem, tanquam effectus ex causa. Contra tertiam exceptionem dico omne subjectum scientiæ non debere esse ens simpliciter, nam, (hoc posito) Mathematica non esset scientia quandoquidem ejus objectum scilicet quantitas, ut potè accidens est ens

secundum quid, scilicet ens inhærens substantiæ ad quartam verò dicimus 1°. aduersarios petere principium, supponunt enim (tanquam concessum) omnem scientiam versari circà ens reale, & circà ens extrà animum existens, quod tamen negamus: & mirum est cur non pudeat aduersarios qui philosophiam profitentur se tueri Clypeo quo se tueri potest altissimus calo aduersus doctissimum quemvis philosophum: nam controuertatur hæc propositio inter calonem & doctissimum philosophum: omnis homo est animal: sic arguet philosophus omne viuens sentiens est animal, atqui omnis homo est viuens sentiens; ergo omnis homo est animal: si vero liceat confugere ad controuersum, & illud supponere tanquam concessum, facile se extricabit calo, distinguens majorem hoc pacto, omne viuens sentiens est animal, distinguit, si sit brutum concedit, si sit homo negat: dico 2°. malè concludere aduersarios, quando ita argumentantur, scientia versatur circà ens ex Phil. ergo circà ens reale & circà ens extrà animum existens.

*Spectatum admissum teneatis amici.*

Nonne se præberet ridendum qui ita argueret; omnis Mathematica versatur circà quantitatem: ergo omnis Mathematica versatur cir-

cà quantitatem continuam: uno verbo à gene-  
re ad unam speciem determinatè, non valet  
consequentia affirmatiuè, ac proinde non va-  
let hæc consequentia aduersariorum, scientia  
versatur circà ens: ergo circà ens extrà ani-  
mum existens. Dico 3°. si per ens circà quod  
scientia versatur intelligi debeat ens extrà ani-  
mum existens, scientia non distinguetur ab  
arte, eo quod scientia versetur circà ens, nam  
ars etiam versatur circà ens extrà animum exi-  
stens, ut patet: Philosophus verò distinguit  
scientiam ab arte, eo quod scientia versatur  
circà ens, non vero ars: per τὸ ens igitur in-  
telligi debet aliquid aliud, nimirum ens nece-  
sarium, ingenerabile, &c. Quod dicitur ens  
per excellentiam, circà autem tale ens non  
versatur ars. Dico 4°. falsum esse scientiam  
essentialiter versari circà ens extrà animum  
existens: nam si essentialiter versaretur circà  
ens extrà animum existens, non posset dari  
scientia de ente non existenti, atqui falsum  
posteriorius, ergo & prius: probatur minor, nam  
ponamus nullum existere Angelum: quod est  
supernaturaliter possibile, de Angelo tamen  
non existenti dabitur scientia, qua certo &  
evidenter cognosco Angelum esse incorrupti-  
bilem ab intrinseco, per hanc causam propriam

& necessariam, scilicet quia est substantia spiritualis, vt patet in demonstratione sequentis omnis substantia spiritualis est incorruptibilis, ab intrinseco, atqui omnis Angelus est substantia spiritualis, ergo omnis Angelus est incorruptibilis ab intrinseco.

Obijcitur 1°. modus sciendi non est scientia, atqui Logica est modus sciendi, ergo Logica non est scientia. Major nititur autoritate Ph. docentis lib. 2. Met. cap. 3. absurdum esse simul quærere scientiam, & modum scientiæ his verbis, *ἀντονος ἀνα τειν θεωρίαν καὶ πόνον θεωρίαν*, id est absurdum est simul quærere scientiam & modum scientiæ: minor patet, nam Logica est modus sciendi Physicam, Metaphysicam, &c. Respondeo 1°. distinguendo subjectum majoris: modus sciendi non est scientia, si sit modus sciendi formaliter vel essentialiter concedo: si sit modus sciendi causaliter, nego: Logica autem est modus sciendi causaliter, quia est causa modi sciendi, scilicet definitionis, diuisionis, &c. Respondeo 2°. distinguendo attributum majoris: modus sciendi non est scientia; distinguo; non est scientia ad quam acquirendam est modus sciendi, concedo: non est scientia absolute in se, nego: verbi gratia Logica est modus sciendi Physi-

cam, Metaphysicam, &c. ergo non est Physica vel Metaphysica, &c. Sed hoc non impedit quominus absolutè sumpta in se non sit scientia, & hæc responsio est juxta mentem Aristotelis, qui loco laudato intendit distinguere medium à fine, eō quod medium non sit finis cuius est medium, vndē sic arguit. Medium non est finis cuius est medium: atqui modus sciendi est medium ad acquirendam scientiam, ergo modus sciendi non est scientia, scilicet illa ad quam acquirendam est medium.<sup>3º</sup>. Potest responderi negando minorem nam Logica non est modus sciendi, sed cognitio modorum sciendi, scilicet definitionis, diuisionis, &c. Quæ sunt nodi sciendi.

Obijcitur 2º. omnis scientia agit de rebus; atqui Logica non agit de rebus, ergo Logica non est scientia: probatur minor: quicquid agit de rebus, agit de entibus realibus; atqui Logica non agit de entibus realibus, sed de entibus rationis, ergo Logica non agit de rebus. Respondeo 1º. retorquendo argumentum: omnis ars agit de rebus, atqui Logica ex concessis non agit de rebus, ergo Logica non est ars, quid respondeant ipsi viderint: nos verò respondemus, non vocabulum rei esse ambiguum, & sumi duobus modis; scilicet latè & impro-

pfiè,

priè , strictè & propriè ; latè sumptum , significat id omne quod non est purè fictitium , & habet fundamentum in re : strictè sumptum , significat id omne quod ponit perfectionem in rerum natura , & existit , intellectu non cogitante de illo , vnde ad argumentum ; omnis scientia agit de rebus ; distingo : latè sumpto vocabulo rei , concedo ; strictè sumpto vocabulo rei , nego . Entia rationis autem ( de quibus Logica ) sunt res latè sumpto vocabulo rei , quia non sunt merum figmentum , & habent fundamentum in re .

Obijcitur 3º . omnis scientia versatur circà res necessarias ; atqui Logica non versatur circà res necessarias : ergo Logica non est scientia . Probatur minor : objectum Logicæ non est necessarium : ergo Logica non versatur circà res necessarias : Probatur antecedens : ens rationis non est necessarium : atqui objectum Logicæ est ens rationis , ergo objectum Logicæ non est necessarium : Probatur major : Contingens non est necessarium ; atqui ens rationis est contingens , quia potest esse & non esse , potest fieri , & non fieri à nobis ; ergo ens rationis non est necessarium . Respondeo distinguendo minorem ultimi argumenti . Ens rationis est contingens ; distingo ens rationis

singulare , concedo : ens rationis vniuersale ,  
nego : vel ita distinguo ; ens rationis est con-  
tingens , distinguo , consideratum secundum  
existentiam concedo ; consideratum secundum  
essentiam , nego . Ens rationis autem vniuer-  
sale , & consideratum secundum essentiam est  
objectum Logicæ .


Obijcitur 4° . nulla scientia versatur circà  
probabilia & sophistica ; atqui Logica ver-  
satur circà probabilia & sophistica : ergo Lo-  
gica non est scientia : minor pater nam Logi-  
ca considerat syllogismum probabilem , & so-  
phisticum . Respondeo distinguendo majorem ,  
nulla scientia versatur circà probabilia & so-  
phistica , distinguo non versatur probabilitè &  
sophisticè , concedo : non versatur demonstrati-  
viè & scientificè , nego : Logica autem agit  
de probabilibus & sophisticis demonstratiuè  
& scientificè , tradendo demonstrationem &  
propositiones scientificas de illis : vt patet his  
demonstrationibus : omnis syllogismus con-  
stans ex probabilibus , est aptus ad gignendam  
opinionem , atqui syllogismus probabilis est  
syllogismus constans ex probabilibus , ergo  
syllogismus probabilis est aptus ad gignendam  
opinionem : omnis syllogismus qui constat ex  
veris necessarijs primis , notioribus , &c . Est

aptus ad gignendam scientiam , atqui demonstratio est syllogismus qui constat ex veris necessarijs primis , notioribus , &c. Ergo demonstratio est apta ad gignendam scientiam.

Obijcitur 5°. Logica vocatur facultas ( siue habitus dubius ) à Phil. lib. 1. Rhet. c. 2. Ergo non est scientia. Respondeo 1°. Dialecticam, id est partem illam Logicæ vbi agitur de probabilitibus vocari facultatem , sed non vniuersam Logicam : 2°. dici potest Logicam esse facultatem quatenus significat habitum contrariorum , nam versatur circà syllogismum probabilem , & syllogismum demonstrativum : sed non est facultas quatenus facultas significat habitum dubium.

Obijcitur 6°. & vltimò sciens non est scientia , atqui Logica est sciens , ergo Logica non est scientia : probatur minor , quicquid habet scientiam est sciens , atqui Logica habet scientiam, ergo Logica est sciens, prob. min. omnis species habet suum genus: atqui Logica est species scientiæ , & scientia est ejus genus , ergo Logica habet scientiam. Respondeo 1°. distinguendo majorem secundi argumenti , quicquid habet scientiam est sciens , distinguo : si habeat scientiam sibi accidentalem ( vt Petrus habet scientiam ) concedo : si habeat scientiam sibi

essentialem, nego: Logica autem habet scientiam sibi essentialem, scientia enim est de essentia Logicæ. Respondeo 2º. negando minorem, nam Logica est scientia, sed propriè non habet scientiam, sicut homo propriè non dicitur habere animal, sed dicitur animal, nec species habet genus, sed est genus.



## CAPVT VII.

*Vtrum Logica sit scientia practica.*

**O**MNIS scientia est speculativa vel practica, atqui Logica est scientia ex prædictis, ergo Logica debet esse speculativa, vel practica: quod videbimus in hoc cap. fauente Deo, ut autem hæc quæstio dilucidè pertractetur.

Notamus 1º. scientias speculativas distingui à practicis præcipue ratione finis, scilicet vltimi: nam finis intrinsecus & formalis, scientiæ speculatiæ est nuda contemplatio objecti, finis verò intrinsecus & formalis scientiæ practicæ est opus vel praxis.

Notamus 2º. vocem contemplandi vel contemplatiui sumi duobus modis: scilicet latè & impropriè, strictè & propriè: latè sumptum,

nihil aliud significat quam cognoscere : quo sensu sumitur apud Phil. lib. 6. Eth. cap. 4. vbi dicit πάντας τέχνην δειπεῖν, id est omnem artem contemplari : vbi illa vox contemplari ponitur pro cognoscere, strictè sumpta vox contemplandi significat aquiescere in nuda cognitione sui objecti, & non tendere ad praxim.

Notamus 3º. praxim ( de qua suprà ) esse duplēcēm vnam intellectualem alteram moralēm : praxis intellectualis est operatio intellectus quæ refertur ad bonum intellectus : qualis est actio intellectus demonstrantis proprietatem de subjecto per causam necessariam : quæ refertur ad cognitionem veritatis , quæ cognitione veritatis bonum est intellectus. Praxis moralis est operatio intellectus vel voluntatis, quæ refertur ad bonum morale , siue ad bonum voluntatis : Logica autem denominatur practica à praxi intellectuali non morali.

Notamus 4º. omnem scientiam practicam nontantum versari circà opus , sed etiam versari circà opus quatenus est factibile directione ipsius scientiæ: nam Physica quæ est speculativa versatur circà opus, scilicet, circà corpus naturale quod est opus Dei , & etiam respicit corpus naturale, quatenus est factibile, siue quatenus generabile, sed non respicit illud quatenus

est factibile propria sua directione: His prænotatis respondemus quæstioni affirmatiæ, affirmantes scilicet Logicam esse purè practicam, & hoc probamus his argumentis.

1°. Scientia cuius finis internus & principalis est praxis, est practica, atqui Logica est scientia cuius finis internus & principalis est praxis, ergo Logica est practica: probatur minor directio mentis in suis operationibus est praxis, atqui finis internus & principalis Logicæ est directio mentis in suis operationibus, ergo finis internus & principalis Logicæ est praxis, minor patet, nam Logica fuit inuenta in hunc finem tantum ut dirigat mentis operationes.

2°. Scientia quæ dirigit mentem ad faciendum suum objectum est practica, atqui Logica est scientia quæ dirigit mentem ad faciendum suum objectum, ergo Logica est practica: minor patet nam Logica tradit præcepta ut intellectus noster dirigatur ad bene conficiendas definitiones, diuisiones, &c. Quæ definitio-nes, diuisiones, &c. Sunt objectum Logicæ.

Obijcitur 1°. omnis scientia practica habet praxim: atqui Logica non habet praxim, ergo Logica non est scientia practica: probatur minor, omnis praxis est actio quæ respicit

bonum morale : atqui Logica non habet actionem quæ respiciat bonum morale : ergo Logica non habet praxim : minor patet nam ab actione quæ respicit bonum morale, homo dicitur bonus moraliter: ab actione vero Logicæ, nemo dicitur bonus moraliter. Respondeo ad majorem ultimi argumenti, cum hac distinctione , omnis praxis est actio quæ respicit bonum morale , distinguo , si sit praxis moralis concedo : si sit praxis intellectualis nego : Logica autem dicitur practica quia habet praxim intellectualem , non moralem : ut supra obseruatum fuit.

Obijcitur 2°. omnis habitus practicus est prudentia vel ars ex Phil. lib. 6. Eth. cap. 4°. atqui Logica neque est prudentia , neque ars: ergo Logica non est habitus practicus: Respondeo habitum practicum esse duplicem vnum est habitus practicus qui versatur circa contingens , alter est habitus practicus , qui versatur circa objectum necessarium & vniuersale: vnde ad argumentum ; omnis habitus practicus ex Aristotele , est prudentia vel ars : distinguo, si sit habitus practicus qui versetur circa objectum contingens , concedo , si versetur circa objectum necessarium , nego : Logica autem versatur circa objectum necessarium.

Obijcitur 3°. omnis scientia practica habet objectum practicum: atqui Logica non habet objectum practicum: ergo Logica non est practica: probatur minor, omne objectum practicum est factibile, atqui Logica non habet objectum factibile, ergo non habet objectum practicum: probatur minor, objectum Logicae non est factibile, ergo Logica non habet objectum factibile: probatur antecedens ens rationis non est factibile, atqui objectum Logicae est ens rationis, ergo objectum Logicae non est factibile: probatur major, omne factibile est ens reale, atqui ens rationis non est ens reale, ergo non est factibile, probatur major, quidquid terminat operationem realem est ens reale, atqui omne factibile terminat operationem realem, ergo omne factibile est ens reale. Respondeo ad majorem vltimi argumenti, cum hac distinctione, quidquid terminat operationem realem est ens reale, distingo: quidquid terminat operationem realem primariò, & per se, concedo; quidquid terminat secundariò operationem realem, nego: ens rationis autem terminat secundariò operationem realem & producitur ut terminus secundarius.

Obijcitur 4°. & vltimò, Logica est speculativa, ergo non est practica: probatur ante-

cedens, in Logica dantur plures cognitiones speculatiuæ, ergo Logica est speculatiua, saltem secundum aliquam sui partem, ac proinde non est tota practica, antecedens patet nam cognoscere definitionem esse orationem explicantem naturam rei, genus latius patere sua specie, vnum membrum diuidens non tam latè patere quam totum suum diuisum, &c. Sunt cognitiones speculatiuæ, istæ autem cognitiones reperiuntur in Logica, ac proinde in Logica dantur plures cognitiones speculatiuæ. Respondeo negando illas cognitiones esse speculatiuas, quia referuntur per se ad praxim, scilicet ad directionem mentis in suis operationibus quæ directio mentis est praxis, & hæc omnia docentur ut mens sciat benè definire, & benè diuidere, &c.

## CAPVT VIII.

*Vtrum ens rationis sit objectum Logicae.*

**S**VPPONIMVS dari ens rationis propriè dictum, & si quis negauerit, probamus hoc argumento: non ens cognitum ad modum entis est ens rationis propriè dictum / scilicet

objectuum.) atqui non ens cognitū ad modum entis datur, ergo ens rationis propriè dictum datur: major patet, nam illud omne quod existit tantūm quandiu obijcitur intellectui, est ens rationis propriè dictum: atqui non ens cognitum ad modum entis existit tantūm quandiu obijcitur intellectui ( siue quandiu est cognitum ab intellectu ) ergo non ens cognitum ad modum entis est ens rationis propriè dictum: probatur vero minor primi argumenti, priuatio cognita ad modum formæ realis in subiecto est non ens cognitum ad modum entis, atqui datur priuatio cognita ad modum formæ realis in subiecto, verbi gratia, quando concipio cæcitatem in Petro, & illam atribuo Petro, ergo datur non ens cognitum ad modum entis, idem dici potest de negatione, &c.

Supponimus etiam essentiam vel definitiōnem entis rationis satis esse declaratam à nobis ex ijs quæ diximus in cap. 2°. Compendij; vt autem hanc quæstionem clarius pertractemus.

Notamus 1°. vocem objecti ducere originem ob obijciendo: vnde nō scibile dicitur objectum scientiæ, quia scientiæ obijcitur considerandum.

Notamus 2°. objectum scientiæ esse duplex vnum materiale alterum formale: materiale est

res quæ consideratur à scientia : formale est modus quo illa res consideratur à scientia , verbi gratia , corpus naturale est objectum materiale Physicæ , quia est res quæ à Physica consideratur : qua naturale est objectum formale , quia est modus quo corpus naturale consideratur : similiter ens rationis est objectum materiale Logicæ , quia est res considerata à Logica : qua directium vero in cognitionem veritatis est objectum formale , quia est modus quo consideratur à Logica : vbi aduerte rem consideratam à scientia dici objectum materiale , quia est instar materiae : sicut enim materia est communis pluribus speciebus corporis naturalis , ita objectum quod dicitur materiale , conuenit pluribus scientijs , ita ut plures scientiæ habeant idem objectum materiale : modus vero quo res aliqua consideratur à scientia dicitur objectum formale , quia est instar formæ : sicut enim forma conuenit vni soli speciei corporis naturalis , ita ille modus qui vocatur objectum formale conuenit vni soli scientiæ , ita ut plures scientiæ specie diuersæ nunquam habeant idem objectum formale .

Notamus 3º. ex objecto materiali & formali simul resultare objectum completum scientiæ : objectum autem completum est , du-

plex vnum inadæquatum, alterum adæquatum: inadæquatum est illud quod non tam latè patet quam tota scientia, vndè exceditur à scientia. Objectum adæquatum est illud quod æquè latè patet ac tota scientia, adeo ut neque scientiam excedat neque à scientia excedatur.

Objectum autem inadæquatum est duplex; vnum *atributum*, alterum *atributionis*: attributum est illud, cuius cognitio refertur ad objectum attributionis: quale est in Logica enunciatio: objectum attributionis est illud ad cuius cognitionem cætera omnia aliquo modo referuntur; quale est in Logica demonstratio: his prænotatis respondemus quæstioni affirmatiuè, affirmamus scilicet ens rationis qua directuum esse objectum formale & adæquatum Logicæ, quæ veritas ut clarè demonstretur tria sunt nobis sigillatim probanda: 1º. ens rationis esse objectum materiale Logicæ; 2º. qua directuum mentis in verum esse ejus objectum formale; 3º. ens rationis qua directuum esse objectum totale & adæquatum Logicæ.

Ens rationis esse objectum materiale Logicæ, ita probatur res considerata à Logica est ejus objectum materiale, atqui ens rationis est res considerata à Logica, ergo ens rationis est ejus objectum materiale: probatur minor, vel

ens reale , vel ens rationis est res considerata à Logica , atqui ens reale non est res considerata à Logica , ergo ens rationis est res considerata à Logica : probatur minor , si ens reale consideratur à Logica est ens reale in communi vel in particulari , atqui neutrum dici potest , ergo ens reale non consideratur à Logica: probatur minor , per partes , 1°. ens reale in communi non consideratur à Logica , quia sola Metaphysica versatur circà ens reale sumptum in communi . 2°. non est ens reale in particulari , quia ens reale in particulari est vel substantia , vel quantitas , vel qualitas , vel relatio , vel actio , &c. Atqui objectum Logicæ non est substantia , non est quantitas , non est qualitas , non est relatio , (vt est in confessio ,) non est etiam actio : vt probatur , hoc argumento: si objectum materiale Logicæ foret actio , esset sine dubio actio intellectus , atqui falsum posterius , ergo & prius: probatur minor , si actio intellectus foret objectum materiale , hoc præceptum Logicæ , *omnis bona definitio constat generi & differentia* : verificaretur de actione intellectus , ( hoc enim præceptum vt alia traduntur de objecto Logicæ , ) atqui falsum posterius : ergo & prius , minor patet , nam actio qua mens definit hominem animal rationale ,

non potest dici propriè constare genere & differentia ; sed mihi tantum repræsentat rem constantem genere & differentia , vndè sequitur ens rationis esse objectum materiale Logicæ : quatenus directium mentis in verum est objectum formale Logicæ ; vt probatur hoc argumento , modus quo consideratur objectum materiale Logicæ est ejus objectum formale, atqui qua directium mentis in verum est modus quo consideratur objectum materiale Logicæ, sc. ens rationis; Logica enim considerat ens rationis quatenus directium mentis in verum, ergo qua directium mentis in verum est objectum formale Logicæ : ens rationis vero qua directium est objectum totale & adæquatum Logicæ ; vt probatur hoc argumento , illud est objectum totale Logicæ , ad quod quæcumque tractantur per se in Logica referuntur, vel tanquam ejus principia , vel tanquam ejus species , vel tanquam ejus proprietates: atqui quæcumque tractantur per se in Logica referuntur ad ens rationis qua directium, vel tanquam ejus principia , vel tanquam ejus species , vel tanquam ejus proprietates ; ergo ens rationis qua directium est objectum adæquatum Logicæ : minor pater ; nam operationes mentis referuntur ad ens rationis tanquam pri-

cipia externa ; gradus verò essentiales entis rationis referuntur ad illud tanquam principia interna ; definitio verò , prædicabilia , diuisio , argumētatio &c. referuntur ad ens rationis tanquam ejus species ; referuntur verò tanquam proprietates , aptitudo ad dirigendam mentem quæ est proprietas entis rationis sumpti in communi : aptitudo prædicandi de multis quæ est proprietas vniuersalis , &c. Concludimus igitur ens rationis qua directuum mentis in verum esse objectum totale & adæquatum Logicæ.

Obijcitur 1°. omne objectum scientiæ est ens ; atqui ens rationis non est ens : ergo ens rationis non est objectum scientiæ ; ac proinde non est objectum Logicæ : major patet , nam vel objectum scientiæ est ens vel nihil : non est autem merum nihil : probatur minor , omne ens habet essentiam : atqui ens rationis non habet essentiā: ergo ens rationis non est ens:probatur minor , quicquid habet essentiam habet essentiā vel realē vel rationis : atqui ens rationis neutrā habet : ergo non habet essentiam : probatur minor per partes , 1°. non habet essentiam realem , quia si haberet essentiam realem foret ens reale : ens rationis autem non est ens reale. 2°. non habet essentiam rationis : quia quic-

quid habet essentiam rationis habet essentiam fictam: at qui ens rationis (de quo Logica) non habet essentiam fictam &c. Respondeo 1°. ens rationis habere essentiam realem, quatenus nō reale latè sumitur, prout opponitur ficto: quia ens rationis Logicum non est fictum, sed fundatum. Respondeo 2°. negando majorem ultimi argumenti sumptam vniuersaliter: vt enim datur duplex ens rationis, vnum fictum alterum fundatum: ita datur duplex essentia rationis, vna ficta altera fundata: ens rationis autem Logicum, habet essentiam rationis fundatam.

Instabis, at qui ens rationis non habet essentiam fundatam, ergo nulla solutio: probatur antecedens: quicquid habet essentiam fundatam, est essentialiter fundatum: at qui ens rationis non est essentialiter fundatum: ergo ens rationis non habet essentiam fundatam: probatur minor, quicquid est essentialiter fundatum, includit essentialiter fundamentum: at qui ens rationis non includit essentialiter fundamentum: ergo ens rationis non est essentialiter fundatum: probatur minor, quod includit essentialiter fundamentum, includit essentialiter ens reale: at qui ens rationis non includit essentialiter ens reale: ergo non includit essen-

essentialiter fundatum : probatur minor, quod includit essentialiter ens reale est ens reale : atqui ens rationis non est ens reale , vt patet ex ipsis terminis ; ergo ens rationis non includit essentialiter ens reale: major patet, nam ideo homo est animal , quia includit essentia- liter animal. Respondeo distinguendo majo- rem vltimi argumenti , quod includit essentia- liter ens reale est ens reale : distinguo , si in- cludat absolute & in recto ens reale , conce- do : si includat connotatiuè , & in obliquo tantum ens reale , nego : ens rationis autem includit ens reale in obliquo , vt liquet hac definitione entis rationis , *non ens cognitum ad modum entis.*

Obijcitur 2º. objectum Logicæ non tra- catur in alia scientia : atqui ens rationis tra- catur in alia scientia, scilicet in Metaphysica, quæ non tantum agit de ente reali , sed etiam de ente rationis : ergo ens rationis non est ob- jectum Logicæ : Respondeo 1º. distinguendo majorem , cum hac distinctione , objectum Logicæ non tractatur in alia scientia : distin- guo , objectum formale Logicæ , concedo : ob- jectum materiale , nego : plures enim scientiæ possunt habere idem objectum materiale , sed non idem formale. Respondeo 2º. cum ista

distinctione, objectum Logicæ non tractatur in alia scientia; distinguo, non tractatur per se in alia scientia, concedo; non tractatur per accidens, nego: ens rationis autem consideratur à Metaphysica per accidens, & quatenus opponitur enti reali: à Logica vero consideratur, per se & quatenus est directium mentis in verum.

Instabis atqui non consideratur à Logica quatenus directium mentis; ergo nulla solutio: probatur antecedens, non est directium mentis: ergo non consideratur qua directium mentis: probatur iterum antecedens omne directium mentis potest producere directionem mentis: atqui ens rationis non potest producere directionem mentis: ergo non est directium mentis: probatur minor: quicquid potest producere directionem mentis, potest producere actionem realem: directio enim mentis est actio aliqua realis: atqui ens rationis non potest producere actionem realem, quia actio realis est tantum ab agente reali: ergo ens rationis non potest producere directionem mentis: Respondeo ad minorem ultimi argumenti, cum hac distinctione, ens rationis non potest producere actionem realem effectuè, vel per viam causæ efficientis, concedo: objectuè vel

per viam objecti, nego: ens rationis igitur dirigit mentem objectiuē vel per viam objecti, scilicet quatenus est objectum ad quod respiciens intellectus noster, seipsum & suas operationes dirigit: verbi gratia scopus dirigit sagittam non effectiuē imprimendo aliquam vim sagittæ, sed objectiuē quatenus est objectum ad quod respiciens sagittarius dirigit suam sagittam: simili aliqua ratione ens rationis dirigit mentem nostram.

Obijcitur 3°. merum impossibile non est objectum scientiæ: atqui ens rationis est merum impossibile: ergo ens rationis non est objectum scientiæ: ac proinde non est objectum Logicæ: probatur minor, quiequid inuoluit contradictionem est merum impossibile: atqui ens rationis inuoluit contradictionem: ergo ens rationis est merum impossibile: probatur minor, quicquid inuoluit terminos contradictorios, inuoluit contradictionem: atqui ens rationis inuoluit terminos contradictorios: ergo ens rationis inuoluit contradictionem: probatur minor, quod inuoluit ens & non ens inuoluit terminos contradictorios: atqui ens rationis inuoluit ens & non ens: ergo ens rationis inuoluit terminos contradictorios: minor patet, nam ens rationis ex essentia sua est non



ens cognitum tanquam ens. Respondeo ad majorem vltimi argumenti cum hac distinctio-  
ne : quod inuoluit ens & non ens inuoluit ter-  
minos contradictorios : distinguo si inuoluit  
ens & non ens sumptum eodem modo , conce-  
do : si inuoluat ens & non ens sumptum diuer-  
so modo nego : ens rationis autem est ens , sci-  
licet à ratione dependens , est vero non ens vel  
negatio entis scilicet positivi : quare est ens &  
non ens simul sine contradictione , quia est ens  
rationis & non est ens positivum.

Obijcitur 4°. objectum Logicæ debet esse  
scibile : atqui ens rationis non est scibile ; ergo  
ens rationis non est objectum Logicæ : pro-  
batur minor , nullum ens per accidens est sci-  
bile : atqui ens rationis est ens per accidens:  
quia constat ex ente reali & secunda notione,  
verbi gratia genus constat ex animali quod est  
ens reale , & ex genereitate quæ est ens ratio-  
nis : ergo ens rationis non est scibile : probatur  
major , omne scibile consideratur à scientia:  
atqui ens per accidens non consideratur à  
scientia : ergo ens per accidens non est scibile:  
minor patet ex Phil. lib. 5. Metaph. cap. 2°.  
~~τὸν τούτον οὐκέτενος ὁδηγία βούτημα βούτημαλεῖς~~, id  
est ens per accidens nulli scientiæ curæ est.  
Respondeo ens per accidens esse triplex scilicet

ens per accidens causaliter : entitatiuè : & attributiuè : ens per accidens causaliter est illud quod per se nullam habet causam determinatam in natura rerum , & contingit præter intentionem naturæ , ut monstrum : ens per accidens entitatiuè est illud quod constat ex pluribus entibus actu completis , quale est exercitus : ens per accidens attributiuè , est illud quod constat ex rebus diuersarum categoriarum , quarum vna se habet tanquam materia & altera tanquam forma ; quale est nō album , vndē ad argumentum ens per accidens nulli scientiæ curæ est , distingo ens per accidens causaliter vel entitatiuè , concedo : ens per accidens attributiuè , quale est ens rationis , nego .

Instabis atqui ens per accidens attributiuè non est scibile : ergo nulla solutio : probatur antecedens , omne scibile est definibile : atqui ens per accidens attributiuè non est definibile : ergo ens per accidens attributiuè non est scibile : major patet nam definitio est medium necessarium ad scientiam acquirendam , minor vero probatur , omne definibile constat genere & differentia , atqui ens per accidens attributiuè non constat genere & differentia ; ergo ens per accidens attributiuè non est definibile : probatur minor , quidquid constat genere & dif-

rentia, constat rebus ejusdem prædicamentis; atqui ens per accidens attributiū non constat rebus ejusdem prædicamenti, ex concessis; ergo ens per accidens attributiū non constat genere & differentia. Respondeo ad majorem penultimi argumenti, cum hac distinctione omne definibile constat genere & differentia, (scilicet genere & differentia tantum) distinguo: si illud definibile sit substantia, vel accidens in abstracto, concedo; si sit accidens in concreto, nego; verbi gratia hæc definitio hominis, *animal rationale*, constat genere & differentia tantum; hæc definitio albedinis, *color visum disgregans*, constat genere & differentia tantum: hæc vero definitio albi *coloratum visum disgregans*, constat genere differentia & subiecto; ens rationis autem est accidens concretiuē sumptum.

Obijcitur 5°. omne scibile est intelligibile, atqui ens rationis non est intelligibile, ergo non est scibile: probatur minor, omne intelligibile est ens reale, atqui ens rationis non est ens reale, ergo ens rationis non est intelligibile. Respondeo distinguendo majorem secundi argumenti, omne intelligibile est ens reale; distinguo, si sit intelligibile per se & per suas proprias species, concedo: si sit intelligibile

per aliud & per alienas species , nego : ens rationis autem est intelligibile per aliud , scilicet per ens reale ad cuius similitudinem accedit.

Objexitur ergo . & vltimò objectum Logicæ specificat Logicam , atqui ens rationis non specificat Logicam , ergo ens rationis non est objectum Logicæ : probatur minor , quidquid specificat Logicam est pars essentialis Logicæ , nam specificans est pars essentialis rei quam specificat , vt patet exemplo rationalis , quod specificat hominem & est etiam pars essentialis hominis : atqui ens rationis non est pars essentialis Logicæ , ergo ens rationis non specificat Logicam : probatur minor , ens rationis non est pars essentialis entis realis , atqui Logica est ens reale , ergo ens rationis non est pars essentialis Logicæ . Respondeo ad majorem secundi argumenti quidquid specificat Logicam est pars essentialis Logicæ , distinguo : si specificat Logicam intrinsecè & formaliter , vt rationale specificat hominem , concedo : si specificat extrinsecè & objectivè nego , hoc autem vltimo modo ens rationis specificat Logicam .

Instabis , atqui ens rationis non specificat objectivè Logicam , ergo nulla solutio : probatur antecedens , si ens rationis specificaret

objectiuè Logicam , ens rationis esset obiectum , ad quod Logica haberet relationem sibi essentialem ; atqui falsum posterius , ergo & prius : probatur minor , Logica nullo modo habet relationem sibi essentialem , ergo non habet relationem sibi essentialem ad ens rationis tanquam ad obiectum : probatur antecedens nullum ens absolutum habet relationem sibi essentialem , quia si haberet relationem sibi essentialem foret essentialiter relatum , ac proinde foret absolutum & non absolutum , ( quod est mera contradic<sup>tio</sup> ) atqui Logica ( vtpotè habitus ) est ens absolutum , ergo Logica non habet relationem sibi essentialem . Respondeo ad majorem ultimi argumenti , cum hac distinctione ; nullum ens absolutum habet relationem sibi essentialem : distingo , categoricam concedo , transcendentalem nego , Logica igitur habet relationem transcendentalem ad ens rationis .

Dices , atqui Logica non habet relationem transcendentalem ad ens rationis , ergo nulla solutio : probatur antecedens , quidquid habet relationem transcendentalem habet relationem realem vel rationis , atqui Logica neutram habet , ergo Logica non habet relationem transcendentalem : probatur minor per partes .

1º. non habet relationem rationis, quia relatio rationis non potest constituere intrinsecè & formaliter ens reale, quale est Logica. 2º. illa relatio non est realis, quia qualis est terminus talis est relatio ad illum terminum, atqui terminus ex concessis est ens rationis, ergo relatio ad illum terminum est rationis non realis. Resp. ad majorem vlt. arg. cum hac distinctione qualis est terminus talis est relatio: si agatur de relatione categorica concedo; si agatur de relatione transcendentali nego: quia relatio categorica specificatur à termino non verò transcendentalis: relatio autem Logicæ ad ens rationis est transcendentalis ut suprà.

## CAP VT IX.

*Vtrum directio operationum mentis sit finis Logicæ.*

**Q**VANDOQVIDEM Logica vtpotè sciencia practica distinguitur à speculatiis præcipue ratione finis: non erit superuacuum quærere quisnam sit finis Logicæ.

Finis definitur à Phil. lib. 2. Phys. cap. 3º.  
vñ s̄ èrexa, id est *id cuius gratia*. Finis autem est

duplex vnuſ, ſcientia, alter ſcientis: finis ſcientiaſ  
eſt ille quem ſcientia ſua natura intendit: ita bo-  
na valetudo eſt finis medicinæ: finis ſcientis  
eſt ille quem ſciens ſibi proponit & ita opes  
ſunt finis quem medicus ſibi proponit: Hic  
non quærimus finem ſcientis qui vtpotè depen-  
dens ab hominis voluntate multiplex eſſe po-  
teſt: fed finem ſcientiaſ qui vnicus ſempèr eſt:  
finis ſcientiaſ eſt duplex vnuſ *cui*, alter *cui*  
*gratia*: finis cui eſt ille in cuius vtilitatem ipſi-  
ars vel ſcientia vertitur: Ita homo eſt finis cu-  
rēſpectu Logicae, quia eſt ille in cuius vtilita-  
tem Logica inuenta fuit. Finis cuius gratia eſt  
ille propter quem aſsequendum ſcientia conſti-  
tuta fuit: qualis eſt in Logica directio ope-  
rationum mentis, nam Logica instituta fu-  
ad nobis procurandam directionem operatio-  
num mentis: Hic non agimus de fine *cui*  
Logicae, fed de fine cuius gratia: finis cuius  
gratia eſt iterum duplex vnuſ proximus, alte-  
vltimus: finis proximus eſt ille quem ſcientia  
proximè intendit: Ita finis cuius gratia pro-  
ximus Logica eſt cognitio veritatis: finis cuius  
gratia vltimus eſt ille quem ſcientia vltimò &  
mediante fine proximo intendit: ita praxis  
vel opus eſt finis cuius gratia vltimus Logicae:  
Non diſputamus hic de fine cuius gratia pro-  
ximo, fed devltno.

Postremò finis cuius gratia vltimus est duplex vius internus, alter externus : internus est ille quem scientia per se & sua natura intendit: externus est ille quem scientia per se non intendit, & oritur à fine interno : Ita directio operationū mentis (quæ est praxis) est finis vltimus & internus Logicæ : facilis verò acquisitionis aliarum scientiarum est ejus finis vltimus & externus : Hic igitur queritur vtrum directio operationum mentis, scilicet finis vltimus & internus Logicæ cui questionis respondeamus affirmatiuè & sententiam nostram probamus argumento sequenti.

Finis quem Logica per se & sua natura vltimò intendit est finis vltimus & internus Logicæ, atqui directio operationum mentis est finis quem Logica per se & sua natura vltimò intendit, ergo directio operationum mentis est finis vltimus & internus Logicæ, minor patet nam Logica inuenta fuit, vt proximè cognoscat suum objectum, & vt mediante illa cognitione dirigat operationes intellectus nostri.

Obijcitur 1°. Logica non dirigit mentem, ergo directio operationum mentis non est finis internus Logicæ: probatur antecedens quidquid dirigit mentem est prius mente, atqui Logica non est prior mente: ergo Logica non

dirigit mentem: major patet nam dirigenſ est prius directo, quia dirigenſ est cauſa directi, minor vero probatur, habitus non est prior po-tentia naturali, atqui Logica est habitus, & mens est potentia naturalis, ergo Logica non est prior mente. Respondeo ad minorem se-cundi argumenti cum hac distinctione, Logi-ca non est prior mente, diſtinguo, considerata ſimpliciter ut eſt mens, vel facultas intelligen-di, concedo: considerata ſecundum quid ut directa, nego: mens igitur eſt prior Logica artificiali, ſed eadem mens ſumpta ut directa eſt posterior Logica artificiali, verbi gratia Petrus conſideratus ſimpliciter, ut Petrus, eſt prior albedine, conſideratus vero ſecundum quid ut albus eſt posterior albedine, quia eſt ejus effectus.

Obiicitur 2º. nulla actio eſt finis, at-qui directio mentis eſt actio, ergo directio mentis non eſt finis. Ratio maioris eſt quia, omnis actio eſt propter finem. Respondeo 1º. negando maiorem, nam fœlicitas hominis eſt actio animæ rationalis, & tamen eſt finis, imo & finis ultimus, Philosophus enim eam definit *εὐτυχίαν*, &c. Id eſt operationem lib. I. magnorum mor. cap. 4º. Respondeo 2º. cum alia distinctione, actio non eſt finis, diſtinguo,

non est finis obiectiuus, concedo : formalis nego. Respondeo 3°. actionem posse concipi dupliciter, vel secundum materiale tantum, scilicet prout est motus, vel virtus, vel secundum materiale & formale simul, prout est actus rectus, vnde ad argumentum actio non est finis, distinguo, considerata secundum materiale tantum concedo: considerata secundum materiale & formale simul, siue prout est actus coniunctus cum rectitudine nego. Actio enim prout recta est verus finis, ut ipse Philosophus docet lib. 6. Eth. c. 5°. his verbis ~~αὐτὴν διαρεγέται τὸ πελός~~, id est ipsa bona actio est finis. Respondeo 4°. ad minorem cum hac distinctione: directio mentis est actio sumpta prout est actus mentis dirigentis, qui est via ad terminum, concedo: sumpta pro termino siue pro rectitudine, quae ponitur per illum actum nego: quare contracta in pauca responsione, negamus majorem: vel eam ita distinguimus. Nulla actio est finis, distinguo: sumpta pro materiali tantum concedo, sumpta pro materiali & formali simul nego: directio autem mentis inuoluit materiale & formale simul, quia est actus rectus: vel ita distinguo majorem, nulla actio est finis, objectiuus concedo, formalis nego, directio igitur mentis est finis formalis Logicæ.


Obijcitur 3°. directio operationum mentis non est finis Logicæ, ergo falsa thesis, probatur antecedens: finis Logicæ obtinetur à Logica, atqui directio operationum mentis non obtinetur à Logica, ergo directio operationum mentis non est finis Logicæ, major patet, nam si non obtineret suum finem, frustra illum intenderet: probatur verò minor, Logica non dirigit operationes mentis, ergo directio operationum mentis non obtinetur à Logica: probatur antecedens, quicquid dirigit operationes mentis, vel omnes vel aliquas tantum dirigit, atqui Logica neque omnes, neque aliquas tantum dirigit, ergo Logica non dirigit operationes mentis: minor probatur per partes. 1°. non dirigit aliquas tantum, ut est in confessio, nam constat inter Philosophos Logicam dirigere omnes operationes mentis, scilicet primam, secundam, & tertiam: 2°. probatur Logicam non dirigere omnes, Logica non dirigit aliquam operationem mentis, ergo non dirigit omnes: probatur antecedens, directio mentis est aliqua operatio mentis, atqui Logica non dirigit directionem mentis, ergo Logicam non dirigit aliquam operationem mentis: minor patet, nam si dirigeret directionem, eam dirigeret per aliam directionem, & ita da-

retur progressus in infinitum: Respondeo 1°. omnem operationem mentis dirigi à Logica præter ipsam directionem, sicut omne ens finitum est in tempore præter ipsum tempus: omne ens finitum & naturale est in loco præter ipsum locum. Respondeo 2°. directionem esse duplē vnam objectiuam , alteram effectiuam : objectiuam est ea qua objectum Logicæ per sui cognitionem dirigit mentem : effectiuam est ea qua intellectus respiciens ad objectum & præcepta Logicæ dirigit suas operationes: sola directio effectiuam est operatio intellectus : vndē ad argumentum , directio mentis est aliqua operatio mentis , distinguo : directio effectiuam concedo : objectiuam nego : effectiuam autem dirigitur per objectiuam , nam præcepta Logicæ cognita ab intellectu dirigunt etiam illum actū quo intellectus dirigit suas operationes, neque datur progressus in infinitum , quia directio objectiuam , non est operatio intellectus ut suprà.

Obijcitur 4°. & vltimò finis internus & essentialis Logicæ conuenit soli Logicæ , atqui dirigere mentem non conuenit soli Logicæ, ergo dirigere mentem non est finis internus & essentialis Logicæ: probatur minor , dirigere mentem conuenit scientijs speculatiuis , scilicet Physicæ , Metaphysicæ , &c. Quæ intel-

lectum in cognitionem veritatis dirigunt, ergo dirigere mentem non conuenit soli Logicæ. Respondeo dirigere mentem in cognitionem veritatis speculatiuæ conuenire scientijs speculatiuis, sed non dirigere mente in cognitionem veritatis practicæ; Logica autem dirigit mentem in cognitionem veritatis practicæ.

Dices atqui dirigere mentis in cognitionem veritatis practicæ non conuenit soli Logicæ, ergo nulla solutio: antecedens patet, nam Ethica vtpote scientia practica dirigit etiam mentem in cognitionem veritatis practicæ. Respondeo Ethicam dirigere mentem in cognitionem veritatis practicæ praxi morali, sed non intellectuali; sola igitur Logica dirigit mentem in cognitionem veritatis practicæ praxi intellectuali.



## CAP V T X.

*Vtrum Logica sit pars Philosophie.*

**Q**VANDOQVIDEM Logica est vera scientia practica necessariò sequitur eam esse partem Philosophiæ, sed vt hæc veritas clarius elucescat.

Præ-

Prænotamus Philosophiam posse concipi duobus modis: scilicet vel ut totum essentiale, vel ut totum potentiale: h̄c non consideratur ut est totum essentiale, sed ut est totum potentiale: quia non quæritur à nobis vtrum Logica sit pars essentialis Philosophiæ, nam evidens est Logicam non esse partem essentialem Philosophiæ, quippe omnis pars essentialis Philosophiæ est de essentia Philosophiæ: atqui Logica non est de essentia Philosophiæ, ergo non est pars essentialis Philosophiæ: probatur minor, quidquid est de essentia Philosophiæ est de essentia omnis speciei Phil. atqui Logica non est de essentia omnis speciei Phil. ergo Logica non est de essentia Philosophiæ: maior patet, sc. quidquid est de essentia Philosophiæ est de essentia omnis speciei Philosophiæ, quia quod est de essentia generis est de essentia omnis ejus speciei, Logica autem non est de essentia omnis speciei Philosophiæ, verbi gratia Physicæ, Metaphysicæ, &c. ac proinde Logica non est de essentia Philosophiæ: his prænotatis respondemus quæstiōni affirmatiuē, affirmantes scilicet Logicam esse partem siue speciem Philosophiæ; & sententiam nostram probantius hoc argumento.

Quidquid est sub Philosophia & participat

H


ejus essentiam est individuum , vel species Philosophiæ : atqui Logica est sub Philosophia , & participat ejus essentiam , ergo Logica est individuum vel species Philosophiæ ; non est autem individuum quia prædicatur de multis individuis in quid scilicet de hac & de illa Logica , ac proinde est ejus species : minor vero probatur per partes , 1° . Logica continetur sub Philosophia , quia Philosophia prædicatur de Logica , non verò Logica de Philosophia , 2° . Logica participat essentiam Philosophiæ ; ut probatur hoc argumento , quidquid participat definitionem essentiale Philosophiæ participat ejus essentiam , atqui Logica participat definitionem essentiale Philosophiæ , ergo Logica participat ejus essentiam : probatur minor , quidquid est cognitio effectuum per causas participat definitionem essentiale Philosophiæ , quia Philosophia definitur essentialiter ( ut suprà ) cognitio effectuum per causas , atqui Logica est cognitio effectuum per causas , ergo Logica participat definitionem esse Phil. minor patet , nam Logica cognoscit definitionem manifestare rem per hanc causam , quia explicat ejus naturam , vniuersale esse aptum prædicari de multis , per hanc causam , quia est aptum in esse multis , &c.


Obijcitur 1º. instrumentum Philosophiæ non est ejus pars, atqui Logica est instrumentum Philosophiæ, ergo non est ejus pars: minor patet, nam Logica ut potè modus sciendi est instrumentum idoneum ad acquirendam Philosophiam. Respondeo 1º. distinguendo majorem, instrumentum Philosophiæ non est ejus pars, distinguo; instrumentum separatum à Philosophia, concedo: instrumentum coniunctum cum Philosophia, nego: Logica autem est instrumentum coniunctum cum Philosophia. Sicut manus est simul instrumentum & pars hominis: unde Philosophus manum vocat organum ante organa lib. 4. de *Anim.* cap. 10. Respondeo 2º. distinguendo minorem: Logica est instrumentum Philosophiæ, distinguo: Philosophiæ sumptæ in specie pro Physica vel Metaphysica, &c. Concedo: sumptæ in genere, prout complectitur omnes suas species sub se, nego: unde sequitur Logicam non esse partem Physicæ, vel Metaphysicæ, &c. Sed pars est Philosophiæ, & ita respondendum est ad locum Arist. lib. 1. Top. cap. 2º. Vbi docet Logicam esse utilem ad Philosophiam, vbi per Philosophiam debet intelligi Metaphysica, quæ vocatur Philosophia per excellentiam, quia est omnium partium Philosophiæ nobilissima.

Obijcitur 2°. nullum totum prædicatur de sua parte in recto : atqui Philosophia prædicatur de Logica in recto , ergo : Philosophia non est totum respectu Logicæ , ac proinde Logica non est ejus pars : major patet , nam non possum dicere animal est homo , materia est corpus naturale , caput Petri est Petrus , &c. minor etiam liquet , nam benè dico , Logica est Philosophia. Respondeo totum esse multiplex, scilicet Metaphysicum : Physicum , integrans , & Logicum , vel potentiale : ( de quibus in compendio ad caput de diuisione ) vnde ad argumentum. Nullum totum prædicatur de sua parte in recto , distinguo : si sit totum Metaphysicum , Physicum , vel integrans , concedo: si sit totum Logicum vel potentiale , nego: totum enim potentiale prædicatur in recto de sua parte potentiali , scilicet genus prædicatur in recto de sua specie , & species de suo individuo. Philosophia autem est totum potentiale respectu Logicæ.

Instabis atqui totum potentiale non prædicatur in recto de sua parte potentiali , ergo nulla solutio : probatur antecedens , quod prædicatur verè de parte potentiali est in parte potentiali, atqui totum potentiale non est in parte potentiali , ergo non prædicatur verè de parte

potentiali: probatur minor, vnum oppositorum non est in alio sibi oppositō, atqui totum potentiale est vnum oppositorum, & pars potentialis est aliud ejus oppositum: ergo totum potentiale non est in parte potentiali: minor patet, nam totum potentiale, & ejus partes sunt relata, ac proinde sunt opposita. Respondeo totum potentiale, & partem potentialem posse considerari, vel materialiter vel formaliter sumpta materialiter sunt res quae vocantur totum potentiale & pars potentialis; qualia sunt animal & homo, homo & Petrus: sumpta formaliter sunt, ratio formalis totius potentialis, & ratio formalis partis potentialis: vnde ad argumentum totum potentiale est vnum oppositorum & pars potentialis est aliud ejus oppositum, distinguo: sumpta formaliter, quatenus sunt totum potentiale & pars potentialis, concedo: sumpta materialiter pro rebus quae dicuntur totum potentiale, & pars potentialis, nego: Philosophia autem & Logica sunt totum potentiale & pars potentialis materialiter non formaliter.





## CAPVT XI.

*Vtrum Logica sit necessaria ad alias scientias  
acquirendas in statu perfecto.*

**H**ÆC est vltima quæstio proemialis quam profligandam suscipimus, fauente Deo; vt autem clarè pertractetur & status quæstionis clarius pateat.

Notamus 1º. Logicam esse duplicem, vnam naturalem, alteram artificialem: quæstio præsens non est de Logica naturali, sed de Logica artificiali, quæ est habitus bene definiendi &c..

Notamus 2º. nō necessarium definiri à Philosopho lib. 3. Metaph. cap. 5º. ὅτι τὸ οὐδέποτε ἀλλως καὶ ἀλλως ἔχει, id est id quod non continet aliter, & aliter se habere: vbi obserua necessarium esse duplex, vnum simplex, alterum complexum: necessarium simplex est terminus simplex qui non potest aliter se habere; quale est Deus qui non potest non existere; necessarium complexum est propositio integra quæ non potest aliter se habere, qualis est ista omnis homo est animal; hīc non agitur de necessario simplici, sed de complexo: nam non quæritur

vtrum Logica sit terminus simplex necessarius, sed vtrum Logica sit necessaria ad alias scientias acquirendas: necessarium autem complexum est duplex: vnum est necessarium absolutum: aliud est necessarium hypotheticum, necessarium absolutum est propositio quae absolute & nulla facta suppositione non potest aliter se habere, ut ista, omnis homo est animal: necessarium complexum hypotheticum est propositio quae secundum quid & facta aliqua suppositione non potest aliter se habere, qualis est ista, dies est, nam facta suppositione solis lucentis, haec propositio non potest aliter se habere, & dies existit necessario.

Notamus 3º. propositionem necessariam hypotheticè esse duplificem: una est necessaria ex suppositione causæ efficientis: altera est necessaria ex suppositione causæ finalis, vel finis: verbi gratia haec propositio est necessaria ex suppositione causæ efficientis, lignum calefit: facta enim suppositione ignis calefacientis praedicta propositio est necessaria: haec vero propositio est necessaria ex suppositione finis Petrus manducat, nam facta suppositione finis, scilicet conseruationis vitæ, necessè est ut Petrus edat.

Notamus 4º. aliquid esse necessarium ex suppositione finis, vel ad esse simpliciter, vel ad melius esse, verbi gratia necessè est manducare cibos ad esse simpliciter, scilicet ad conseruandam vitam: (saltem naturaliter) necessè verò est ad melius esse, scilicet ad melius conseruandam vitam, manducare cibos lautos; præmissa hac distinctione dicimus Logicam esse necessariam, necessitate complexa ex suppositione finis ad esse simpliciter, scilicet facta suppositione, quod homo velit acquirere scientias in statu perfecto.

Notamus 5º. sensum quæstionis esse, Logicam esse necessariam homini, facta suppositione quod velit acquirere scientias in statu perfecto naturæ viribus, & humano more: nam supernaturaliter posset acquirere scientias in statu perfecto, etiam si foret destitutus Logica.

Notamus 6º. scientiam esse duplicem, unam partialem, alteram totalem: scientia partialis est cognitio certa & eidens rei necessariae per propriam causam, acquisita per unicam demonstrationem, qualis est cognitio hujus conclusionis, omnis homo est risibilis, acquisita per hanc unicam demonstrationem, omne rationale est risibile, atqui omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis, sciens.

tia totalis est habitus qui constat ex pluribus scientijs partialibus , qualis est vniuersa Logica : Logica autem est necessaria ad acquirendas omnes scientias in statu perfecto : siue partiales , siue totales .

Notamus 7° . & ultimò scientiam posse acquiri duobus modis , vel in statu imperfecto , vel in statu perfecto ; acquiritur in statu imperfecto quando habemus quidem cognitionem rei necessariæ , sed non habemus cognitionem adeò certam & euidentem , vt nullum habeamus dubitandi locum , & hoc est quando sumus quidem certi de re , sed non sumus certi de modo quo illam rem scimus , non sumus inquam certi , an ille modus sit infallibilis , acquiritur verò scientia in statu perfecto , quando scimus rem necessariam , & scimus nos eam scire modo infallibili : his prænotatis dicimus statum quæstionis hunc esse , vtrum Logica artificialis sit homini necessaria , facta suppositione quod velit acquirere alias scientias in statu perfecto ? Cui quæstioni respondemus affirmatiuè & sententiam nostram probamus his argumentis .

1° Quæ disciplina est necessaria ut sciamus nos scire modo infallibili est necessaria ad acquirendas scientias in statu perfecto , atqui

Logica est disciplina necessaria ut sciamus nos scire modo infallibili, ergo Logica est necessaria ad alias scientias acquirendas in statu perfecto: major patet, nam ut scientiam perfecte acquiramus, non tantum debemus scire rem, sed etiam necessarium est, ut sciamus nos scire illam rem modo infallibili: probatur vero minor, si sola Logica doceat modum infallibilem sciendi, est necessaria ut sciamus nos scire modo infallibili, atqui sola Logica docet modum infallibilem sciendi, ergo sola Logica est necessaria ut sciamus nos scire modo infallibili: probatur autem minor, verus syllogimus demonstratiuus est modus sciendi, atqui sola Logica docet verum syllogismum demonstratiuum, ergo sola Logica docet modum sciendi, maior patet, nam demonstratio est syllogismus scientificus, siue faciens scire: minor etiam liquet, nam sola Logica docet, quid sit demonstratio, quænam sit eius materia, quænam sit eius forma in qua figura & in quo modo sit conficienda, &c.

2°. Quæ disciplina docet benè definire, benè diuidere, bene argumentari, & benè omnia disponere est necessaria ad scientias acquirendas in statu perfecto, atqui Logica docet benè definire, benè diuidere, benè argumen-

tari , & omnia benè disponere , ergo Logica est necessaria ad alias scientias acquireendas in statu perfecto : ratio majoris est quia ut perfectè acquiramus scientiam aliquam ; 1°. debemus scire quid sit ejus objectum , hoc autèm scimus per definitionem : scire etiam debemus illud benè definiri à nobis , & hoc scimus per solam Logicam : 2°. scire debemus quot sint ejus species , & hoc scimus per ejus diuisionem : scire etiam debemus nos legitimam fecisse diuisionem , quod scimus per solam Logicam : 3°. debemus etiam demonstrare proprietatem de subjecto per causam propriam , & necessè est ut sciamus nostram demonstrationem legitimam esse , & rectè concludere , quod beneficio *soli* Logicæ compertum habemus : postremò siue definiamus , siue diuidamus , siue arguamus : omnia legitimo ordine nobis facienda sunt , & hoc etiam directione *soli* Logicæ facimus : minor autèm patet omnibus .

Obijcitur 1°. Scientiæ acquiruntur perfectè per solam Logicam naturalem : ergo Logica artificialis non est necessaria ad alias scientias perfectè acquirendas : probatur antecedens : acquisitione scientiarum per solam naturalem est perfectior acquisitione quæ fit per Logicam artificialem : ergo perfectè acquiruntur per

solam Logicam naturalem : probatur antecedens , opus naturae est perfectius opere artis , verbi gratia Alexander viuus erat praestantior **Alexandro** picto , atqui acquisitione scientiarum per solam Logicam naturaleni est opus naturae ; acquisitione vero scientiarum per Logicam artificialem est opus artis : ergo scientiarum acquisitione per solam Logicam naturalem est perfectior acquisitione scientiarum facta per Logicam artificialem : major patet ex Phil. lib. 2. Phys. cap. 1. Respondeo 1° . cum hac distinctione , opus naturae est melius opere artis : distinguo , opere artis *imitatrixis* naturae : concedo , quia ars imitatrix naturae semper opponitur naturae : est melius opere artis *reparatrixis* naturae nego : quia ars reparatrix naturae est semper conjuncta cum natura ; opus autem quod procedit ab arte & natura simul , est praestantius opere solius naturae , acquisitione autem scientiarum per Logicam artificialem est opus artis reparatrixis naturae , quia Logica artificalis reparat Logicam naturalem. Respondeo 2° . negando minorem , nam cum acquisitione scientiarum in statu perfecto per solam Logicam naturalem sit merum impossibile , ( quia non datur neque potest dari , ) est merum nihil ac proinde non est opus naturae .

Objeicitur 2º. si Logica esset necessaria ad alias scientias acquirendas deberet prius doceri, atqui falsum posterius, ergo & prius: probatur minor difficilior non debet prius doceri faciliori: atqui Logica est difficilior alijs scientijs & aliæ scientiæ sunt faciliores: ergo Logica non debet prius doceri alijs scientijs: probatur minor scientia quæ habet objectum difficilior objecto aliarum scientiarum est difficilior alijs scientijs: atqui Logica habet objectum difficilior objecto aliarum scientiarum: ergo Logica est difficilior alijs scientijs: probatur minor, objectum Logicæ est difficilior objecto aliarum scientiarum: ergo Logica habet objectum difficilior objecto aliarum scientiarum: probatur antecedens ens rationis est difficilior ente reali; atqui objectum Logicæ est ens rationis, objectum verò aliarum scientiarum est ens reale: ergo objectum Logicæ est difficilior objecto aliarum scientiarum. Respondeo 1º. ad majorem secundi argumenti cum hac distinctione difficilior non debet prius doceri faciliori: distinguo, si ordo doctrinæ non exigat difficilior prius doceri concedo: si ordo doctrinæ exigat prius doceri nego: ordo autem doctrinæ postulat ut Logica prius doceatur, quia Logica est modus sciendi & instrumentum ne-

cessarium ad acquirendas alias scientias. Respondeo 2°. cum hac distinctione difficilius non debet prius doceri faciliori : distinguo, si sit difficilius simpliciter & absolute tum respectu objecti, tum respectu methodi qua tractatur: concedo, si sit difficilius secundum quid & aliquo respectu tantum, nego: Logica autem est difficilior secundum quid & respectu objecti tantum, sed est longè facilior alijs scientijs ratione methodi qua procedit, quia Logica habet ex se methodum sciendi, aliæ verò scientiæ habent illam methodum à Logica.

Obijcitur 3°. Logica non est necessaria ad omnes scientias: ergo falsa nostra sententia: probatur antecedens non est necessaria ad vnam scientiam acquirendam: ergo non est necessaria ad omnes scientias: probatur antecedens Logica non est necessaria ad se ipsam, ergo non est necessaria ad vnam scientiam acquirendam, antecedens patet, nam si Logica esset necessaria ad se ipsam, se ipsam præcederet, foret sui causa quod est absurdum. Respondeo ad antecedens Logica non est necessaria ad se ipsam: distinguo, sumpta collectiue non est necessaria ad se ipsam sumptam etiam collectiue, concedo: sumpta distributiue secundum vnam partem, non est necessaria ad se

ipsam sumptam distributiū secundū aliam partem : nego , nam prima pars logicæ est necessaria ad acquirendam secundam , secunda est necessaria ad acquirendam tertiam, sicut in homine oculi inferuiunt manibus & manus pedibus.

Obijcitur 4°. si Logica esset necessaria ad alias scientias acquirendas esset necessaria propter definitiones , diuisiones , & argumentationes : atqui falsum posterius : ergo & prius probatur minor , cæteræ scientiæ habent definitiones , diuisiones , & argumentationes : ergo Logica non est necessaria ad alias scientias acquirendas propter definitiones , diuisiones , &c. Respondeo cæteras scientias habere ex se definitiones , diuisiones , &c. Materiales , sed non formales, siue habent materiam ex qua fiunt definitiones , diuisiones , &c. Sed non habent ex se formam definiendi , diuidendi , &c. Vnde ad argumentum cæteræ scientiæ habent definitiones , diuisiones , &c. Distinguo materiales : concedo , formales nego , vnde sequitur Logicam non esse necessariam ad alias scientias acquirendas propter materiam definitio- num , diuisionum , &c. Sed semper necessaria est , propter formam definiendi , diuidendi , &c. Quia sola Logica docet methodum benè definiendi , diuidendi , &c.

Obijcitur 5º. si Logica sit necessaria ad omnes alias scientias aquirendas habet proportionem cum omnibus alijs scientijs: atqui falsum posterius, ergo & prius: probatur minor, si Logica haberet proportionem cum alijs scientijs, quarum aliæ sunt speculatiuæ, aliæ practicæ, foret simul speculatiua & practica: atqui falsum posterius: ergo & prius: minor patet, nam vt suprà vidimus Logica est purè practica. Respondeo Logicam habere proportionem cum alijs scientijs in ratione scientiæ, non verò in ratione scientiæ speculatiuæ, vel practicæ: est enim scientia sicut Physica, Metaphysica, &c. Vnde ad argumentum, si Logica esset necessaria ad alias scientias acquirendas haberet proportionem cum alijs scientijs: distingo in ratione scientiæ: concedo, in ratione scientiæ speculatiuæ, vel practicæ nego.

Obijcitur 6º. & vltimò sine Logica aliæ scientiæ fuerint acquisitæ in statu perfecto: ergo Logica non est necessaria ad acquirendas alias scientias in statu perfecto: probatur antecedens: 1º. Athenis plures acquirebant Mathematicas scientias, qui nundum didiscerant Logicam, vt patet ex illo dicto Platonis quod pro foribus Academiæ scriptum erat, οὐδὲν ἀγόμενος εισιτο, id est nein Geometriæ igna-

rus ingrediatur 2°. Hypocrates acquisiuit medicinam in statu perfecto sine Logica , quia Hypocrates vixit longe ante Aristotelem ac proinde vixit antequam foret Logica. Respondeo Athenienses acquisiuisse Mathematicas sine Logica in statu imperfecto, sed non in statu perfecto. Hypocrates verò acquisiuit perfectè medicinam sine Logica Aristotelis, sed non sine Logica.

Instabis atqui Hypocrates & alij acquisiuerunt perfectè scientias sine Logica: ergo nulla solutio , probatur antecedens tempore Hypocratis & aliorum nulla erat Lógica: ergo Hypocrates & alij acquisiuerunt perfectè scientias sine Logica : probatur antecedens , si aliqua fuisset Logica tempore Hypocratis , fuisset perfecta, vel imperfecta: atqui neutrum dici potest: ergo non fuit Logica : probatur minor per partes, 1°. non fuit Logica imperfecta, quia Logica imperfecta non fuisset sufficiens ad acquirendas perfectè alias scientias. 2°. non fuit perfecta quia Logica perfecta habet principalem sui partem , atqui tempore Hypocratis non habebat principalem sui partem : ergo tempore Hypocratis non erat Logica perfecta : probatur minor , syllogismus est principalis pars Logicæ , atqui tempore Hypocratis

Logica non habebat syllogismum: ergo tempore Hypocratis Logica non habebat principalem sui partem: probatur minor, ex Phil. lib. 2. Elenc. Soph. cap. vlt. vbi dicit de Rethoricis multa fuisse scripta antea, dicit vero de syllogismo se nihil accepisse. Respondeo tempore Hypocratis fuisse Logicam perfectam, ad illud verò quod dicitur tempore Hypocratis Logicam non habuisse syllogismum. Respondeo cum hac distinctione Logica non habuit syllogismum scriptum concedo: mentalē & vocalem nego. Quare syllogismus non docebatur scriptis, sed saltem docebatur viua voce, & hoc modo intelligendus est Aristoteles, quando dicit se nihil habuisse de syllogismo, scilicet nihil habuit scriptum, sed multa accepit de syllogismo quæ viua voce edocebantur.



COMMENTARII  
ET QVÆSTIONES  
IN  
PORPHYRII INTRODVCTIONEM.  
PRÆFATIO.

**P**ERTRACTATIS duobus locis communibus  
quorum prior est de Philosophia in communi:  
Posterior vero est de Logica, nunc accedimus ad Por-  
phyrij introductionem commentariis explanandam,  
& questionibus enodandam & postea deueniemus  
ad Logicam Aristotelis considerandam iuxta metho-  
dum quam nobis præscripsimus in præfatione huius  
Logicæ, & haec omnia fauente Deo. Sed priusquam  
introductionem Porphyrij explicandam aggredia-  
musr præfationem habemus in qua loquemur 1°. de  
authore huius introductionis, 2°. de eius subiecto,  
& 3°. de eius fine.

*Author* huius operis fuit Porphyrius dictus Por-  
phyrius quasi diceres φερόν τιλη πορφυρόν, id est fe-  
rens purpuraceam vestem qua semper indutus erat:

Natione Phœnicius, patria Tyrus, professione Philosophus, Origenis discipulus, Chrysaorij, & Iamblichi præceptor, <sup>1°</sup> Christianus, postea antichristianus, & tandem tempore Diocletiani mortuus est: subiectum totale & adæquatum huius operis est rō uniuersate: subiecta vero partialia & inadæquata sunt ista quinque prædicabilia, genus, species, differentia, proprium, & accidens commune. Finis huius operis est duplex unus internus, alter externus. Internus est explicatio istarum quinque vocum quam per se intendit hæc introductio. Finis externus est facilis intelligentia categoriarum Aristotelis quæ oritur à fine illo interno. Cum enim Chrysarius varias difficultates reperiret in perlegendis categorys Aristotelis, rogauit Porphyrium ut vellet illum introducere in cognitionem categoriarum Aristotelis & in hunc finem suam introductionem componeret: Breves autem commentarios trademus, dum vero volente Deo in profligandis quæstionibus immorabitur.



## CAPVT I.

*Introductionis Porphyrij in quo Porphyrius  
præfatur.*



ORPHYRIVS præfationem habet in hoc cap. in qua compellat homines ad legendum tractatum suum de vniuersalibus, eum commendans ab vtilitate, & facilitate.

Reuera Porphyrij introductio est vtilis 1°. ad definitionem intelligendam, quia explicat partes essentiales definitionis, scilicet genus & differentiam. 2°. vtilis est ad cognoscendas diuisiones, quia explicat rem quæ diuiditur & partes in quas diuiditur, scilicet genus & species. 3°. multum confert ad facilem intelligentiam categoriarum, quia nobis aperit quid sit genus, quid species, quid differentia, &c. ex quibus omnibus constant categoriæ. 4°. maximè facit ad intelligendam doctrinam de demonstratione, quia explicat definitionem quæ est principium demonstrationis cur sit, nobis etiam declarat genus & speciem quæ sunt sub-

jecta veræ demonstrationis , postremò nos docet quid sit proprietas . 4°. modo , quæ demonstratur de subjecto per principium , est etiam facilis introductio Porphyrij , quia author supercedet à pertractandis quæstionibus peraduis , ( vt ipsemet profitetur ) quales sunt vtrum vniuersalia sint corporea , vel incorporea , vtrum sint æterna & vbique , &c .

## CAPVT II.

**P**O ST Q V A M Porphyrius hanc habuit præfationem , docet se traditurum duplicem tractationem , vnam absolutam , alteram comparatam , in priori considerat prædicabilia absolutè in se ipsis , in posteriori considerat ea comparatè ad se inuicem : quare Porphyrium fecuti , consideramus 1°. prædicabilia absolutè in se ipsis , & postea eadem considerabimus comparatè ad se inuicem , & hæc omnia breuissimè ( volente Deo ) quia de illis satis in Compendio .



## CAP VT III. IV. &amp; V.

*De prædicabilibus absolutè consideratis.*

**I**N cap.3º. Porphyrius docet 1º. genus habere plures significations, sed hoc vidimus in compedio: tantum addam vnu scilicet Porphyrium describere genus *id cui subjicitur species*. vbi nota Porphyrium non dicere genus esse id cui subjiciuntur species (in plurali) sed cui subjicitur species (in singulari) quia quamvis plures species materiales subjiciantur generi, vt patet exemplo hominis & bruti, quæ subjiciuntur animali, vniqa tamen est species formalis, siue vniqa est specieitas, à qua species materiales dicuntur species. 2º. Porphyrius describit genus prædicabile de multis specie differentibus in quæstione quid, sed de hac descriptione in compendio. 3º. diuidit genus in supremum, & subalternum, supremum ita est genus, vt non sit species (scilicet vniuoca) subalternum ita est genus, vt sit etiam species, etiam vniuoca. 4º. docet quot modis sumatur nomen speciei, quid sit species, sumpta Logice, quotuplex sit, sed hæc omnia vide in com-

pendio, & tandem docet indiuiduum esse *id quod constat affectionibus, quarum collectio in alio esse non potest.*

In cap. 4°. 1°. diuidit differentiam in communem, propriam, & maximè propriam: vnius cuiusque autem differentiæ definitionem lege in Compendio. 2°. diuidit differentiam in separabilem, & in inseparabilem: separabilis est illa quæ potest realiter separari à suo subjecto, qualis est albedo lanæ, qua lana alba differt à nigra: differentia inseparabilis est illa quæ non potest separari realiter à suo subjecto; differentia autem in separabilis est duplex, una quæ conuenit essentialiter subjecto, & est differentia maximè propria, altera quæ conuenit subjecto accidentari quidem, sed necessariò tamen, & est differentia propria, verbi gratia risibilitas. 3°. Porphyrius rediens ad partes suæ primæ diuisionis definit differentiam maximè propriam, eam *quæ facit differre ( scilicet essentialiter ) unum ab alio.*


Quoad proprium in c. 5°. docet 1°. aliquid dici proprium quatuor modis, quod videbis in compendio; hic tantū unum addemus, sc. canescere proprietatem esse 3°. modo hominis, quia conuenit omni & foli homini: sed non semper: vbi nota 1°. animalia bruta habere quidem pilos

albos , & posse dici propriè albescere , non ve-  
rò possunt dici propriè canescere . nota 2° . ca-  
nitiem esse duplicem , vnam simplicitè & ab-  
solutè , & est quando aliquis habet omnes vel  
serè omnes capillos albos : altera est canities  
secundum quid , & est quando aliquis habet  
aliquos tantùm capillos albos : dum dicimus  
canitiem esse proprietatem . 3° . modo intelligi-  
gimus canitiem priori modo sumptam . nota 3° .  
canitiem esse duplicem , vnam *naturalem* , alte-  
ram *casualēm* : canities casualis contingit homi-  
ni etiam in juuentute , vel ob nimiam tristi-  
tiam , vel ob nimium metum , vel ob morbum ,  
&c. Canities vero naturalis conuenit homini  
in senectute tantùm : de qua nunc : docet 2° .  
proprium 4° . modo ( quod est quartum præ-  
dicabile ) esse *id quod conuenit omni , soli semper  
subjecto , & cum eo reciprocatur* , quale proprium  
est verbi gratia risibilitas .

Quoad accidens commune , idem Author 1° .  
definit accidens commune , 2° . illud diuidit ,  
sed ejus definitionem , & diuisiōnem vidimus in  
compendio , vnum tantùm addemus , scilicet  
Porphyrium præter definitionem accidentis  
communis quam explicuimus in compendio ,  
tradere etiam istam definitionem accidentis  
communis : accidens commune est illud , quod

neque est genus , neque species , neque differentia , neque proprium , & semper subjecto inhæret : cuius sola vltima pars , docet quid sit accidens , priores vero docent tantum quid non sit .

Dices vltimam particulam definitionis , scilicet *semper subjecto inhæret* , non conuenire omni accidenti , quia accidens aliquando separatur à suo subjecto , verbi gratia albedo separatur aliquando à lana , ac proinde albedo quæ est accidens , non inhæret semper subjecto . Respondeo hæc vltima verba definitionis , scilicet *semper subjecto inhæret* , esse intelligenda cum hac limitatione , scilicet semper subjecto inhæret quandiu existit , dum vero separatur definit existere .



## CAPVT VI.

*De quinque prædicabilibus comparatè ad se inuicem consideratis,*

**S**V P R A cum Porphyrio considerauimus prædicabilia absolute in se ipsis , nunc eadem prædicabilia intuebimur comparatè ad se inuicem : dum prædicabilia conferuntur inter

se: 1º. proponuntur relationes similitudinis, quæ reperiuntur inter prædicabilia; 2º. proponuntur relationes dissimilitudinis, quæ inter prædicabilia occurunt: quoad primum docet prædicabilia conuenire inter se in ratione vniuersalis. Omnia enim participant naturam vniuersalis: differunt verò secundum gradus proprios & specificos: nam gradus proprius & specificus generis est nō in esse multis specie differentibus in quæstione quid: gradus verò proprius & specificus speciei est nō in esse multis solo numero differentibus in quæstione quid: gradus proprius & specificus differentiæ est nō prædicari in quale quid: gradus proprius & essentialis proprij est nō prædicari in quale & necessariò: porrò gradus proprius & essentialis accidentis communis est nō prædicari in quale & contingenter: quare quinque prædicabilia partim conueniunt partim differunt.





QVÆSTIONES  
DE  
VNIVERSALIBVS.

---

QVÆSTIO I.

*Vtrum dentur res vniuersales.*



B I commentarios tradidimus in Porphyrij introductionem , nunc quæstiones in eandem nobis sunt ventilandæ , quarum prima est vtrum dentur res vniuersales , quæ vt clare pertractetur .

Prænotamus ὅτι vniuersale vt potè concretum posse usurpari duobus modis , vel materialiter , scilicet pro re quæ dicitur vniuersalis ; vel formaliter , scilicet pro forma à qua res dicitur vniuersalis , quæ nihil est aliud quam vniuersalitas : quæstio præfens non est de vniuersali-

sumpto formaliter, sed de vniuersali sumpto materialiter; quæritur enim vitrum dentur res quæ mereantur vocari vniuersales cui quæstioni respondemus affirmatiuè, & sententiam nostram probamus authoritate, & rationibus.

1°. Dantur res quarum aliæ sunt singulares, & aliæ vniuersales: ex Phil. lib. de interpretatione cap. 7°. his verbis ~~τὰ μὲν καθόλεις οὐδέ τινες τά δέ καθέκαστον~~, id est rerum aliæ singulares sunt, aliæ vniuersales.

2°. Dantur species, ergo dantur res vniuersales: probatur antecedens, res perfectè definibiles sunt species: atqui res perfectè definibiles dantur: ergo species dantur: probatur minor, dantur res quæ perfectè definitiuntur: ergo dantur res quæ sunt perfectè definibiles: antecedens patet, nam quando homo definitur animal rationale perfectè definitur: hæc enim definitio constat proximo genere, & differentia essentiali: quando etiam animal definitur viuens sentiens, definitione perfecta definitur.

3°. Res vniuersales sunt in Petro: ergo res vniuersales existunt: probatur antecedens, quæ verè affirmantur de Petro sunt in Petro: atqui res vniuersales verè affirmantur de Petro: ergo res vniuersales sunt in Petro: probatur minor, homo & animal sunt res vniuersales: atqui

homo & animal verè affirmantur de Petro: ergo res vniuersales affirmantur verè de Petro: probatur major, quando dico Petrus est homo, Petrus est animal, affirmo res vniuersales de Petro: ergo homo & animal sunt res vniuersales: probatur antecedens, vel affirmo res vniuersales de Petro, vel res singulares: atqui non affirmo res singulares: ergo affirmo res vniuersales: minor patet, nam si affirmans hominem de Petro: affirmarem rem singularem de Petro vel affirmarem ipsum Petrum de Petro, & tunc affirmatio esset identica, & nugatoria ( quod falsum est ) vel affirmarem Ioannem de Petro, vel alium hominem singulare, & tunc affirmatio esset falsa ( quod etiam dici nequit ) de animali idem esto judicium: quando igitur dicitur Petrus est homo, Petrus est animal affirmantur res vniuersales de Petro.

Obijcitur 1°. quidquid est in mundo est singulare: ergo nullum datur vniuersale: probatur antecedens, quicquid existit est singulare: atqui quicquid est in mundo existit: ergo quicquid est in mundo est singulare. Respondeo distinguendo inajorem quidquid existit est singulare distinguo: quidquid existit primariò & per se concedo: quidquid existit siue primariò, siue secundariò, siue per se, siue per aliud nego;

tes autem vniuersales existunt per aliud tantum, scilicet per singularia in quibus sunt.

Instabis atqui vniuersalia non existunt per singularia: ergo nulla solutio: probatur antecedens, si vniuersalia existerent per singularia existerent in singularibus, atqui falsum posterius, ergo & prius: probatur minor, nullum incorruptibile existit in re corruptibili, quia simul corrumperetur cum re corruptibili in qua est, atqui vniuersale est incorruptibile (ex prædictis) singulare verò est corruptibile: ergo vniuersale non existit in singulari. Respondeo distinguendo majorem nullum incorruptibile existit in re corruptibili distinguo: si sit incorruptibile secundum essentiam & existentiam simul concedo: si sit incorruptibile secundum essentiam tantum nego: vniuersalia autem sunt incorruptibilia secundum essentiam tantum.

Obijcitur 2°. & vltimò quidquid est in mundo est singulare: ergo nulla datur res vniuersalis: probatur antecedens, omne creatum vel increatum est singulare, atqui quidquid est in mundo est creatum vel increatum; ergo quidquid est in mundo est singulare: ratio majoris est quia omne ens creatum vel increatum est creature vel Creator, ac proinde est ens singulare. Respondeo ad minorem cum hac di-

stinctione; quidquid est in mundo est creatum vel increatum distinguo: vel concreatum concedo: est creatum vel increatum tantum nego: vnde patet res singulares dici creari; vniuersales vero dici concreari, quia creatio terminatur primariò & per se ad existentiam rei, siue ad rem ut existentem, ac proinde ad rem singularem: res vero vniuersales producuntur simul cum singularibus, ac proinde cumproducuntur vel concreantur.

## QVÆSTIO II.

*Vtrum vniuersalia sint corporea vel incorporea.*

**N**VNC legitimus ordo videtur postulare ut quæramus, quid sit vniuersale, sed quia ejus essentiam atque definitionem satis fuisse considerauimus in compendio, hanc quæstionem de industria prætermittimus, ut quæstionein præsentem profligemus, in hunc finem.

Notamus 1°. hic agi de vniuersalibus materialibus siue de rebus quæ vocantur vniuersales, quales sunt homo animal, &c.

Notamus 2°. rem vniuersalem non distingui  
realiter

realiter à singulari in quo est, sed ratione tantum, verbi gratia homo non differt realiter à Petro, adeo ut natura humana in Petro & Paulo sint via & eadem res.

Notamus 3°. vniuersalia esse triplicia: alia sunt in singularibus omnino corporeis, verbi gratia natura bruti est in singularibus, scilicet in hoc leone & in illo cane qui sunt corporei, tum secundum materiam, tum secundum formam: alia sunt in singulatis omnino incorporeis, verbi gratia natura Angelica, quæ est in hoc & illo Angelo: postremò dantur vniuersalia, quæ sunt in singularibus partim corporeis, partim incorporeis, verbi gratia natura humana, quæ est in Petro & Paulo, Petrus enim & Paulus sunt corporei secundum materiam; sunt vero incorporei secundum formam, scilicet secundum animam rationalem, præmissa hac distinctione dicimus vniuersalia esse triplicia: alia sunt corporea, scilicet ea quæ sunt in singularibus omnino corporeis: alia sunt incorporea, scilicet ea quæ sunt in singularibus omnino incorporeis, & tandem alia sunt partim corporea, partim incorporea, scilicet ea quæ sunt in singularibus partim corporeis, partim incorporeis.

Obijcitur 1°. nullum vniuersale est corpo-


reum, ergo falsum est dari vniuersalia corpora: probatur antecedens, nullum infinitum est corporeum, atqui omne vniuersale est infinitum: ergo nullum vniuersale est corporeum: probatur major, omne corporeum est finitum, atqui nullum infinitum est finitum, vt patet ex terminis, ergo nullum infinitum est corporeum, probatur autem minor prioris argumenti. Quicquid est semper & ubique est infinitum, atqui omne vniuersale est semper & ubique, vt videbimus postea fauente Deo, & vulgo doceatur a Philosophis, qui volunt res vniuersales esse æternas, ergo omne vniuersale est infinitum. Respondeo ad majorem primi argumenti cum hac distinctione; nullum infinitum est corporeum, distingo, si sit infinitum positum, concedo: si sit infinitum negatum tantum nego. Vniuersale autem est infinitum negatum, infinitum positum est illud, quod habet entitatem infinitam existentem ab æterno, & eo modo solus Deus est infinitus: infinitum negatum est illud quod per se neque principium, neque finem habet, bene tamen habet principium & finem per aliud, & hoc modo res vniuersales sunt infinitæ.

Obijcitur 2º. nullum corpus est corporeum, atqui vniuersale materiale est corpus, verbi

gratia, brutum est corpus &c. ergo vniuersale materiale non est corporeum : probatur minor, nullum abstractum est suum concretum , verbi gratia albedo non est album , atqui corpus est abstractum , & corporeum est ejus concretum, ergo corpus non est corporeum : minor patet, nam aliquid dicitur corporeum à corpore. Respondeo negando minorem , nam abstractum corporei , non est corpus , sed est corporeitas, quia si corpus esset abstractum , omne corporeum haberet corpus , atqui falsum posterius, ergo & prius : minor patet, nam materia prima est corporea & tamèn non habet corpus , sed corporeitatem ; visio oculi corporei est corporea, quis tamèn dixerit eum esse corpus, vel habere corpus.

Obijcitur 3°. & vltimò , si vniuersale esset corporeum , daretur penetratio dimensionum, atqui falsum posterius , ergo & prius : probatur consequentia majoris , si vniuersale esset corporeum , siue corpus , vnum corpus foret in alio corpore , scilicet vniuersale in singulari, sine vlla majori extensione singularis ( quæ est vera penetratio ) ac proinde , si vniuersale sit corporeum datur penetratio dimensionum. Respondeo negando consequentiam majoris, & ad ejus probationem dico eam esse falsam,

quia vniuersale corporeum & singulare corporeum non sunt duo corpora realiter diuersa, sed sunt vnum & idem realiter corpus, verbi gratia Petrus, & natura humana quæ est in Petro, sunt vnum & idem corpus; ut autem detur penetratio dimensionum requiritur ut vnum corpus ingrediatur aliud realiter à se diuersum.



### QVÆSTIO III.

*Vtrum vniuersalia sint separata à singularibus.*

**H**UIC quæstioni locum dedit Plato, qui voluit res vniuersales (quas vocabat ideas) esse separatas realiter à suis singularibus, nos verò huic quæstioni respondemus negatiuè, negamus scilicet vniuersalia esse realiter separata à suis singularibus, & sententiam nostram confirmamus argumento sequenti.

Essentia singularium non est separata realiter à singularibus; quia essentia & essentiatum sunt sempèr vnum & idem, atqui vniuersalia sunt essentia singularium: ergo vniuersalia non sunt separata realiter à singularibus:

minor patet, nam homo & animal quæ sunt vniuersalia sunt essentia Petri, & Pauli.

Sententiam verò Platonis sibi fингentis vniuersalia esse realiter separata à suis singularibus reiсimus his rationibus.

1º. Illæ ideæ quas ponebat Plato non sunt: ergo non dantur vniuersalia separata à singularibus: probatur antecedens, si illæ ideæ existerent forent vel singulares, vel vniuersales, atqui neutrū dici potest: ergo non existunt: probatur minor, per partes 1º. non sunt singulares, quia singularia non sunt de essentia singularium, atqui illæ ideæ juxta Platonem sunt de essentia singularium: ergo illæ ideæ non sunt singulares: major patet, nam singularia non habent alia singularia sub se. 2º. non sunt vniuersales, quia nullum vniuersale existit per se, existit enim tantum per singulare, atqui illæ ideæ juxta Platonem existunt per se: ergo illæ ideæ non sunt vniuersales.

2º. Quæ separantur realiter à singularibus differunt realiter à singularibus; atqui vniuersalia non differunt realiter à singularibus: ergo vniuersalia non separantur realiter à singularibus: probatur minor, essentia non differt realiter à re cuius est essentia, atqui vniuersalia sunt essentia singularium, verbi gratia homo est de essentia Petri & Pauli, ergo &c.

Obijcitur 1°. nullum sublunare est objectum scibile : ergo debent dari ideæ æternæ & in-generabiles in cœlis quæ sint verum objectum scientiarum : probatur antecedens , omne scibile est ingenerabile , & incorruptibile , atqui nullum sublunare est ingenerabile & incorruptibile : ergo nullum sublunare est scibile. Respondeo ad majorem cum hac distinctione omne scibile est ingenerabile , & incorruptibile, distinguo negatiuè , concedo : positiuè nego: negatiuè quatenus per se neque gignitur, neque corruptitur , licet gignatur & corruptatur per aliud.

Obijcitur 2°. quidquid producitur à simili producitur, atqui ranæ , culices , &c. producuntur : ergo à simili producuntur quo posito rursus sic arguunt, quicquid producitur à simili, producitur vel à simili existente in terris , vel à simili existente in cœlis , atqui ranæ , & culices non producuntur à simili existente in terris : ergo producuntur à simili existente in cœlis , illa autem causa similis existentis in cœlis nihil aliud est quam idea. Respondeo 1°. ad majorem cum hac distinctione , quidquid producitur à simili producitur , distinguo : si producatur à causa vniuoca concedo : si producatur à causa æquiuoca nego : ranæ autem &

culices producuntur à causis æquiuocis : vel ita distinguo majorem ; quidquid producitur , producitur à simili distinguo : à simili formaliter , vel virtualiter , vel eminenter concedo : à simili formaliter semper , nego: causa similis formaliter est ea quæ est ejusdem speciei cum effectu quem producit , qualis est Petrus gignens Paulum , causa similis virtualiter vel eminenter est ea quæ non est ejusdem speciei cum effectu , sed habet tantam virtutem (& longè majorem) ad producendum effectum quantam habet causa quæ est formaliter similis ; ita sol habet tantam virtutem ad producendum calorem quantam habet ignis , qui est formaliter similis , siue formaliter calidus : vnde sol dici potest causa similis virtualiter ; quare ranæ & culices producuntur à causa simili virtualiter vel eminenter , scilicet à sole & cœlo , non vero producuntur à causa simili formaliter.

Obijcitur 3° . & vltimò quo modo cognoscuntur vniuersalia eodem modo sunt , atqui cognoscuntur esse sine singularibus , ergo sunt sine singularibus . Respondeo ad minorem cum hac distinctione vniuersalia cognoscuntur esse sine singularibus , distinguo : esse id est habere essentiam sine singularibus concedo : esse id est habere existentiam sine singularibus nego;

quaestio autem est utrum habeant existentiam extra singularia.

## QVÆSTIO IV.

*Vtrum vniuersalia sint meri conceptus, vel mera nomina.*

**I**N quaestione praesenti tres sententiae nobis occurruunt: Prima fuit Zenonis & Stoicorum qui voluerunt vniuersalia esse nudos conceptus, vnde definiebant vniuersale notionem *formalem plures naturas singulares sine illa sui variatione representantem*. Secunda fuit Ochamii, & nominalium qui voluerunt vniuersalia esse mera nomina quam sententiam absurdissimam nominare non veremur. Tertia sententia est vniuersalia non esse meros conceptus, vel mera nomina quam nos amplectimur. His prænotatis sententiam Stoicorum & nominalium refellimus sequentibus rationibus.

1°. Vniuersalia praedicantur de pluribus rebus singularibus, atqui meri conceptus, vel mera nomina non praedicantur de pluribus rebus singularibus: ergo meri conceptus, vel mera nomina non sunt vniuersalia: probatur

minor, quæ prædicantur de pluribus rebus singularibus, prædicantur vel de substantijs, vel de accidentibus singularibus: atqui meri conceptus, vel mera nomina non prædicantur de substantijs, vel accidentibus singularibus, ergo meri conceptus, vel mera nomina non prædicantur de pluribus rebus singularibus, probatur minor per partes 1°. non prædicantur de substantijs singularibus, quia si prædicarentur de substantijs singularibus, substantiæ singulares forent meri conceptus, vel mera nomina, atqui falsum posterius, ergo & prius: probatur minor, meri conceptus & mera nomina sunt accidentia: atqui substantiæ singulares non sunt accidentia: ergo non sunt meri conceptus, vel mera nomina. 2°. meri conceptus vel mera nomina non prædicantur de accidentibus singularibus, quia meri conceptus existunt in intellectu tantum, & mera nomina (quæ sunt voces) existunt tantum quando homo loquitur, atqui accidentia singularia, verbi gratia hæc albedo, hæc nigrēdo non existunt in intellectu tantum, non existunt etiam eo tempore tantum quo homo loquitur, ergo accidentia singularia non sunt meri conceptus, vel mera nomina.

2°. Objecta scientiarum non sunt meri conceptus, vel mera nomina (conceptus enim à


sola Logica considerantur , & nomina à sola Grammatica ) atqui vniuersalia sunt objecta scientiarum ( vt suprà ) ergo vniuersalia non sunt meri conceptus , vel mera nomina.

3°. Si vniuersalia essent conceptus , vel es-  
sent conceptus veri vel falsi , atqui neutrum dici potest , ergo vniuersalia non sunt concep-  
tus : minor patet , nam si sint falsi conceptus ,  
falsa sunt vniuersalia Stoicorum : si sint veri  
sunt conformes rebus , quas repræsentant , ac  
proindè præter conceptus dantur res vniuer-  
sales.

Obijcitur 1°. vniuersalia non sunt res , ergo  
sunt meri conceptus , vel mera nomina , pro-  
batur antecedens : si vniuersalia essent res , es-  
sent priores natura singularibus : atqui falsum  
posteriorius , ergo & prius , minor patet ex Phil.  
lib. 1. de Anim. cap. 1°. Vbi docet animal vni-  
uersale aut nihil esse , aut esse posteriorius singu-  
laribus , vndè patet vniuersale non esse prius  
singularibus. Respondeo animal posse con-  
cipi duobus modis , vel simpliciter vt est ani-  
mal , vel secundum quid vt est vniuersale , vndè  
ad dictum Aristotelis: Animal vniuersale nihil  
est , aut est posteriorius singularibus , distinguo  
animal sumptum vt est vniuersale concedo:  
sumptum simpliciter vt est animal nego : quia

animal fit vniuersale, postquam cognita sunt singularia.

Obijcitur 2°. & vltimò, quicquid significat sine tempore est merum nomen, atqui vniuersale significat sine tempore, ergo vniuersale est merum nomen, probatur minor: substantia secunda est vniuersalis, atqui substantia secunda significat sine tempore, quia ex Phil. in cap. de substantia, substantia secunda significat *quale quid.* Respondeo 1°. negando majorem, nam hedera appensa pro foribus significat vnum venale, neque propterea hedera est merum nomen. Respondeo 2°. retorquendo argumentum, quicquid significat sine tempore est merum nomen ex concessis: atqui substantia singularis significat sine tempore, quia loco suprà laudato Phil. docet substantiam singularis significare hoc aliquid, ergo substantia singularis est merum nomen, quod tamen nolunt Ochamistæ. Respondeo 3°. distinguendo majorem primi argumenti, quod significat sine tempore est nomen, distinguo: si significat per se, concedo: si significat per accidens nego: vniuersale autem significat aliquid per accidens ratione nominis, quo designatur, sed non per se, & sua natura.



## QVÆSTIO V.

*Vtrum vniuersalia sint æternæ & vbique.*

**Q**ÆSTIO præsens est etiam perdifficilis: vnde ab illa pertractanda vltro abstinet Porphyrius, nos verò eam breuiter profligabimus: orta autem fuit hæc quæstio ex eo quod experientia quotidiana compertum est res vniuersales nasci & denasci cum singularibus in quibus sunt, & tamen Philosophus alicubi docet res vniuersales esse æternas & vbique, ut autem hæc quæstio breuiter & clare expediatur.

Prænotamus aliquid dici æternum duobus modis, vel positiuè vel negatiuè: æternum positiuè est ens existens ab æterno, quale est solus Deus: æternum negatiuè est illud quod per se nec habet principium neque finem, licet cætero habeat principium & finem per aliud, & hoc modo vniuersalia sunt æterna: aliquid etiam dicitur esse vbique, vel positiuè, vel negatiuè: illud dicitur esse vbique positiuè, quod omnia loca suo esse replet, & ita Deus est ubique positiuè: illud dicitur esse vbique negatiuè,

quod per se non est alicubi astrictum sicut res singularis, quae est in uno certo loco tantum: & eo modo res vniuersales sunt vbique: his prænotatis respondemus quæstioni affirmatiuè, & sententiam nostram probamus.

Id quod per se nec incipit nec desinit (incipit tamè & desinit per aliud) est æternum negatiuè, atqui vniuersalia per se nec incipiunt nec desinunt: ergo vniuersalia sunt æterna negatiuè: minor patet, nam res vniuersales incipiunt & desinunt per singulares tantum: illud est vbique negatiuè, quod per se non est uni certo loco astrictum, & potest esse in quolibet loco, atqui vniuersale non est per se uni certo loco astrictum, & potest esse in quolibet loco, ergo vniuersale est vbique negatiuè: minor patet, nam si res vniuersales astringatur uni certo loco, astringitur per singularem tantum.

Obijcitur 1°. vniuersalia sunt æterna positiuè: ergo non sunt æterna negatiuè tantum: probatur antecedens, quæ sunt positiva ab æterno sunt æterna positiuè, atqui vniuersalia sunt positiva ab æterno: ergo vniuersalia sunt æterna positiuè: probatur minor, homo & animal sunt vniuersalia: atqui homo & animal sunt positiva ab æterno, siue sunt termini reales ab æterno: ergo vniuersalia sunt positiva

ab æterno. Respondeo distinguendo minorem ultimi argumenti, homo & animal sunt positiva ab æterno, distinguo: in mente Dei concedo: quia Deus affirmat vnum terminum de alio: extra Deum & in rerum natura nego: vnde sequitur hominem & animal prout sunt vniuersalia non esse æterna positiuè.

Obijcitur 2°. vniuersalia non sunt æterna ullo modo: ergo falsa sententia nostra: probatur antecedens, si vniuersalia essent æterna, essent æterna vel secundum essentiam, vel secundum existentiam: atqui neutrum dici potest, ergo vniuersalia non sunt æterna: probatur minor per partes; 1°. non sunt æterna secundum existentiam, quia hoc posito existent ab æterno, ac proinde forent æterna positiuè ( quod negamus ) 2°. non sunt æterna secundum essentiam, quia si sint æterna secundum essentiam, essentia vniuersalium est æterna, atqui falsum posterius: ergo & prius: probatur minor, si essentia vniuersalium sit æterna, vel est æterna secundum essentiam vel secundum existentiam: atqui neutrum dici potest, ergo essentia vniuersaliū non est æterna: probatur minor, per partes; 1°. essentia non est æterna secundum essentiam, quia de alia essentia quæram an sit æterna secundum essentiam vel

secundum existentiam, & sic dabitur progressus in infinitum; 2°. essentia vniuersalium non est æterna secundum existentiam: quia hoc posito existeret ab æterno, ac proinde foret æterna positiuè, quod negatum fuit suprà. Respondeo essentiam vniuersalium esse æternam secundum existentiam non positiuè; sed negatiuè: scilicet quatenus nunquam per se incipit existere vel definit existere: vndè sequitur essentiam vniuersalium esse æternam negatiuè tantùm.

QVÆSTIO VI.

*Vtrum vniuersale sit à parte rei.*

**V**IDIMVS suprà andentur res vniuersales: an illæ res vniuersales sint corporeæ, vel incorporeæ, &c. nunc fauente Deo, inquirimus vtrum vniuersale formale existat à parte rei, nec ne? vt autem hanc quæstionem celeberrimam inter Thomistas & Scotistas clare pertractemus.

Notamus 1°. vniuersale sumi duobus modis, vel materialiter, vel formaliter: vniuersale sumptum materialiter, siue vniuersale materiale,

est res quæ dicitur vniuersalis , verbi gratia ho-  
mo : vniuersale sumptum formaliter , siue vni-  
uersale formale , est vniuersalitas , à qua res  
dicitur vniuersalis : quæstio præfens non est  
de vniuersali materiali , nam omnes fatentur,  
vniuersale materiale existere à parte rei inde-  
pendenter ab intellectu , disputatur igitur de  
vniuersali formalis .

Notamus 2º vniuersale materiale , verbi  
gratia naturam humana in posse concipi tribus  
modis , scilicet Metaphysicè : Physicè : & Lo-  
gicè : natura humana consideratur Metaphy-  
sicè quando consideratur in se , & secundum  
suam essentiam , scilicet quando consideratur  
ut est animalitas & rationalitas : consideratur  
Physicè quando consideratur secundum ex-  
istentiam Physicam & realem , quam habet in  
singularibus , & per singularia in quibus est:  
concipitur Logicè quando concipitur secun-  
dum existentiam objectuum , quam habet in  
mente postquam abstracta fuit à suis inferiori-  
bus : natura humana sumpta Metaphysicè , nec  
est formaliter vniuersalis , neque est formaliter  
singularis , sed præscindit ab vniuersalitate , &  
à singularitate : sumpta Physicè est actu singu-  
laris : sumpta verò Logicè est formaliter vni-  
uersalis .

Notamus

Notamus 3°. vniuersale materiale , verbi gratia naturam humanam posse considerari tripliciter , vel prout est in vno indiuiduo , verbij gratia in Petro , vel prout est in omnibus indiuiduis , vel prout est abstracta ab omnibus indiuiduis : sumpta primo modo , est vna numero , vnitate numerica negatiua , quia neque diuiditur numero , neque potest diuidi numero: sumpta secundo modo non est vna numero sed multiplex : sumpta vero vltimo modo est etiam vna numero , sed vnitate numerica priuatiua , quia naturae humanae abstractae à suis inferioribus conuenit carentia diuisionis numericæ conjuncta cum aptitudine ad diuisionem numericam , ac proinde illa vnitas numerica est priuatiua.

Notamus 4°. vniuersale formale sive vniuersalitatem , benè definiri *vunitatem & aptitudinem in essendi multis* , quare vniuersale formale habet duos gradus sibi essentiales , scilicet vunitatem , & aptitudinem in essendi multis: quoad priorem sciendum est vunitatem nihil aliud esse quam *indiuisiōnēm rei* , & esse triplicem scilicet numericam : formalem : & præcisionis : vnitas numerica constituit indiuiduum , & conuenit rei singulari tantum : vnitas formalis nihil est aliud quam indiuisio vel indi-

uisibilitas, & hæc vñitas conuenit omnibus rebus siue singularibus, siue vniuersalibus: vñitas præcisionis est *carentia diuisionis in inferiora eiusdem nominis, & eiusdem naturæ, conjuncta cum aptitudine ad diuisionem in eadem inferiora:* quare vñitas præcisionis est ea, qua natura vniuersalis est actu præcisa à suis inferioribus, & hæc vñitas præcisionis est prior gradus essentialis vniuersalitatis.

Hæc autem vñitas præcisionis (quæ est vñitas rationis non realis) est duplex, vna genericæ, altera specifica: genericæ est *carentia diuisionis in plures species conjuncta cum aptitudine ad diuisionem in easdem species:* vñitas præcisionis specificæ est *carentia diuisionis in individua conjuncta cum aptitudine ad diuisionem in eadem individua,* qualis est vñitas hominis: vbi aduerte vñitatem præcisionis specificam, verbi gratia vñitatem specificam hominis posse concipi sub dupli respectu, vel respectu diuisionis specificæ, vel respectu diuisionis numericæ: vñitas specifica sumpta sub priori respectu est negatiua, quia est *carentia diuisionis specificæ conjuncta cum ineptitudine ad eandem diuisionem specificam;* sumpta vero sub posteriori respectu est priuatiua, quia est *carentia diuisionis numericæ conjuncta cum*

aptitudine ad eandem diuisionem numericam: posterior gradus essentialis vniuersalis formalis, siue vniuersalitatis est aptitudo in essendi multis, siue multiplicitas, aut saltem multiplicabilitas; hæc autem aptitudo non est Physica & realis, sed est Logica & rationis: ratio est quia aptitudo quæ est de essentia vniuersalitatis conuenit omni rei quæ est formaliter vniuersalis: atqui aptitudo Physica in essendi multis, non conuenit omni rei quæ est formaliter vniuersalis: ergo aptitudo Physica in essendi multis, non est de essentia vniuersalitatis: minor patet, nam natura solis præcisa per intellectum à sole existenti, & ab illis qui existere possunt est formaliter vniuersalis & tamen non habet aptitudinem Physicam in essendi pluribus, nam naturaliter non potest existere in pluribus solibus, quandoquidem naturaliter non possunt dari plures soles: sunt igitur duæ conditiones requisiæ ad constituendam rem formaliter vniuersalem, prior est unitas præcisionis: posterior est aptitudo in essendi multis, vel multiplicabilitas: defectu primæ conditionis natura verbi gratia humana non est formaliter vniuersalis à parte rei: defectu posterioris conditionis natura diuina non est vniuersalis, quia quamuis sit maximè una & indiuisa in pluribus personis

neque est multiplex, neque est multiplicabilis: his prænotatis, clarum est hunc esse præsentis quæstionis statum vtrum vniuersale formale, siue vniuersalitas existat à parte rei, vel per operationem intellectus tantum, vel vtrum vniuersalitas conueniat naturis independenter ab intellectu, vel per operationem intellectus? Scotistæ docent vniuersale formale existere independenter ab intellectu: Thomistæ verò hoc negant, & contendunt vniuersale formale, siue vniuersalitatem conuenire rebus per operationem intellectus tantum, & hanc sententiam Thomistarum amplectimur, eamque probamus sequentibus argumentis.

1º. Natura verbi gratia humana non est formaliter vniuersalis à parte rei: ergo non datur vniuersale formale à parte rei: probatur antecedens, quicquid est formaliter vniuersale à parte rei, est vnum à parte rei: atqui natura humana non est vna à parte rei: ergo natura humana non est formaliter vniuersalis à parte rei: probatur minor, omne vnum à parte rei est indiuisum à parte rei: atqui natura humana non est indiuisa à parte rei: ergo natura humana non est vna à parte rei: major patet, nam vnum definitur à Philosoph. lib. 10. Met. cap. 1º. πάσαις τοῖς, id est indiuisum: probatur minor,

nullum diuisum à parte rei est indiuisum à parte rei : atqui natura humana est diuifa à parte rei : ergo natura humana non est indiuifa à parte rei : minor patet natura enim humana diuiditur per Petreitatem Pauleitatem quæ sunt differentiæ indiuiduantes ; adeo ut natura humana quæ est in Petro sit diuifa à natura humana Pauli.

Responent aduersarij ad majorem vltimi argumenti cum hac distinctione , nullum diuisum est indiuisum, distingunt : eodem modo quo est diuisum concedunt : alio modo negant ; volunt autem naturam humanam esse diuifam numero & esse indiuifam specie; quare est quidem multiplex numero sed semper est vna specie.

Insto rº. atqui natura humana non est vna specie à parte rei : ergo nulla solutio : probatur antecedens , quidquid est vnum specie à parte rei est species à parte rei , atqui natura humana non est species à parte rei : ergo natura humana non est vna specie à parte rei : probatur minor , quid est species à parte rei , est actu præcisum à parte rei à suis indiuiduis , ( quia ut supra vidimus omnis vnitatis specifica est vnitatis præcisionis : ) atqui natura humana non est actu præcisa à suis indiuiduis , ( scilicet à parte rei : ) ergo natura humana non est à parte rei

species: probatur minor, quicquid est præcsum à parte rei à suis indiuiduis, est præcisum à parte rei à differentijs numericis diuidentibus: atqui natura humana non est præcisa à parte rei à differentijs numericis diuidentibus ergo natura humana non est præcisa à parte rei à suis indiuiduis: minor probatur, quod identificatur cum suis differentijs, & est contrahendum per suas differentias numericas non est præcsum, vel abstractum ab illis differentijs: atqui natura humana identificatur cum suis differentijs & est contracta per illas: ergo non est præcisa vel abstracta ab illis: 2°. quicquid est vnum specie à parte rei, habet à parte rei potentiam proximam in effendi multis indiuiduis, atqui natura humana non habet à parte rei potentiam proximam in effendi multis indiuiduis: ergo natura humana non est à parte rei vna specie: ratio majoris est quia aptitudo proxima in effendi multis est de essentia vniuersalis, ac proinde est de essentia speciei; (& hoc patentur omnes:) probatur verò minor, natura humana à parte rei non habet potentiam in effendi multis indiuiduis: ergo non habet à parte rei potentiam proximam in effendi multis indiuiduis: probatur antecedens, natura humana amisit potentiam in effendi multis indiuiduis:

ergo non habet illam potentiam : probatur antecedens , quod posuit actum amisit potentiam ad eundem numero actum , ( juxta hoc axioma posito actu tollitur potentia ad eundem numero actum ) atqui natura humana posuit à parte rei actum sc. in essendi multis individuis : ergo natura humana à parte rei amisit potentiam sc. in essendi multis individuis , & cum natura humana unicum numero tantum habeat actum in essendi Petro ( saltem naturaliter ) vbi posuit illum actum in essendi Petro non habet amplius potentiam in essendi Petro. 3°. si natura humana est una specie à parte rei, natura humana quæ est in Petro est una specie à parte rei: atqui natura humana quæ est in Petro non est una specie à parte rei: ergo natura humana non est una specie à parte rei: probatur minor, quicquid est unum specie à parte rei , est species à parte rei: atqui natura humana quæ est in Petro non est species à parte rei: ergo natura humana quæ est in Petro non est una specie à parte rei: probatur minor , si natura humana quæ est in Petro esset species à parte rei , ipse Petrus esset species à parte rei: atqui falsum posterius: ergo & prius : probatur consequentia majoris : natura humana quæ est in Petro, & Petrus, neque realiter, neque essentialiter distinguntur: ergo

si natura humana quæ est in Petro est species à parte rei , Petrus est etiam species à parte rei: probatur antecedens per partes : 1°. non distinguntur realiter , quia natura humana Petri , & Petrus sunt vna & eadem res,vnam & eandem habent existentiam: 2°. non distinguntur essentialiter , vt probatur hoc argumento : ea quorum vnum est tota essentia alterius non distinguntur essentialiter , verbi gratia homo & animal rationale non distinguntur essentialiter, quia animal rationale est tota essentia hominis: atqui natura humana Petri & Petrus sunt ea quorum vnum est tota essentia alterius : scilicet natura humana est tota essentia Petri: ergo natura humana Petri & Petrus : non distinguntur essentialiter: minor patet , nam species est tota essentia sui indiuidui ; atqui natura humana Petri est species Petri , & Petrus est ejus indiuiduum : ergo natura humana Petri est tota essentia Petri.

2°. Quicquid est vniuersale à parte rei est commune à parte rei: atqui verbi gratia natura humana non est communis à parte rei : ergo non est vniuersalis à parte rei : probatur minor, quod est proprium à parte rei , non est commune à parte rei: atqui natura humana est propria à parte rei: ergo natura humana non est com-

munis à parte rei : minor patet , nam natura humana Petri est propria Petro , natura humana Pauli est propria Paulo.

Respondent aduersarij , distinguendo naturam humanam , quæ est in Petro , a natura humana vt est in Petro : vndè ad argumentum: natura humana est propria à parte rei , scilicet natura humana Petri est propria Petro , &c. Distinguunt , natura humana vt est in Petro concedunt : natura humana quæ est in Petro negant , docent verò naturam humanam quæ est in Petro esse communem à parte rei multis.

Insto 1°. atqui natura humana quæ est in Petro est propria à parte rei Petro: ergo nulla solutio: probatur antecedens , natura humana vt est in Petro,& natura humana quæ est in Petro, neque realiter, neque essentialiter distinguntur : ergo si natura humana vt est in Petro est propria à parte rei Petro , natura humana quæ est in Petro est etiam propria à parte rei Petro : 2° . natura humana vt est in Petro , & natura humana quæ est in Petro sunt omnino idem : ergo nulla solutio(omnis enim solutio legitima habet par-tes distinctas:) probatur antecedens, quæ dicunt omnino idem , sunt omnino idem : atqui natura humana quæ est in Petro , & natura humana vt est in Petro dicunt omnino idem: ergo sunt

omnino idem: probatur minor, natura humana vt est in Petro, neque plus neque minus dicit quam natura humana quæ est in Petro: ergo natura humana quæ est in Petro, & natura humana vt est in Petro dicunt omnino idem: probatur antecedens per partes; 1°. natura humana vt est in Petro non dicit plus quam natura humana quæ est in Petro: nam si diceret plus ideò plus diceret quia includit Petreitatem: atqui falsum posterius: ergo & prius: probatur minor, si natura humana vt est in Petro includeret Petreitatem, natura humana vt est in Petro, nihil aliud esset quam Petrus: atqui falsum posterius: ergo & prius: consequentia majoris patet, nam natura humana includens Petreitatem, & Petrus sunt idem: probatur vero minor si natura humana vt est in Petro nihil aliud sit quam Petrus, dum dicitur natura humana vt est in Petro est propria Petro nihil aliud dicitur quā Petrus est proprius Petro: atqui hoc est absurdum: ergo & illud vnde sequitur; 2°. natura humana vt est in Petro non dicit minus quam natura humana quæ est in Petro, vt probatur sequentibus argumentis, natura humana vt est in Petro plus dicit quam natura humana quæ est in Petro: ergo non dicit minus quam natura humana quæ est in Petro: probatur antecedens:

individuum plus dicit quam sua species, verbi gratia Petrus plus dicit & plures gradus perfectionis includit quam homo: atqui secundum aduersarios natura humana ut est in Petro, est individuum, & natura humana quæ est in Petro est ejus species: ergo natura humana ut est in Petro plus dicit ( siue plures gradus perfectionis includit ) quam natura humana quæ est in Petro: vnde patet naturam humanam quæ est in Petro, & naturam humanam ut est in Petro esse omnino idem.

3°. Vniuersalitas non conuenit naturæ humanæ à parte rei: ergo natura humana non est vniuersalis à parte rei: probatur antecedens. Quicquid conuenit naturæ humanæ à parte rei, conuenit ei essentialiter vel accidentariò, atqui vniuersalitas neutro modo conuenit à parte rei naturæ humanæ: ergo vniuersalitas non conuenit naturæ humanæ à parte rei: probatur minor per partes. 1°. non conuenit essentialiter naturæ humanæ, quia quicquid conuenit essentialiter naturæ humanæ est ejus genus vel differentia specifica, atqui vniuersalitas neutrum est: ergo vniuersalitas non conuenit essentialiter naturæ humanæ: minor patet, nam animal est genus naturæ humanæ: rationale est ejus differentia specifica, vniuersalitas autem

neque est  $\pi$  animal, neque est  $\pi$  rationale. 2°. vniuersalitas non conuenit à parte rei naturæ humanæ accidentariò, quia quicquid conuenit realiter & accidentariò naturæ humanæ est ejus accidens proprium vel commune : atqui vniuersalitas neutrum est : ergo vniuersalitas non conuenit realiter & accidentariò naturæ humanæ : probatur minor per partes ; 1°. vniuersalitas non est accidens proprium naturæ humanæ , quia subjectum & ejus proprietas reciprocantur in recto ( secundum definitionem proprij ) atqui natura humana & vniuersalitas non reciprocantur in recto , ergo natura humana & vniuersalitas non sunt subjectum & subjecti proprietas : atque ita vniuersalitas non est proprietas naturæ humanæ : probatur minor, quæ reciprocantur in recto , affirmantur de se inuicem vniuersaliter & in nominatiuo casu : atqui natura humana & vniuersalitas non affirmantur de se inuicem vniuersaliter & in nominatiuo casu : ergo natura humana & vniuersalitas non reciprocantur in recto : minor patet, nam dicere non possum : omnis natura humana est vniuersalis , vel est species : & omne vniuersale , vel omnis species est natura humana , ambæ enim illæ propositiones sunt falsæ : præterea proprietas naturæ humanæ conuenit omni

indiuiduo ejusdem naturæ humanæ ; atqui vniuersalitas non conuenit omni indiuiduo naturæ humanæ , imò nulli conuenit : ergo vniuersalitas non est proprietas naturæ humanæ ; ratio majoris est quia omnis proprietas specifica / qualis est proprietas naturæ humanæ ) non tantum conuenit soli , scilicet soli speciei , sed etiam conuenit omni scilicet indiuiduo ejusdem speciei : minor etiam patet , nam si vniuersalitas conueniret indiuiduo , indiuiduum foret vniuersale , quod est absurdum. 2° . vniuersalitas non est accidens commune naturæ humanæ , quia accidens commune conuenit prius rebus singularibus quam vniuersalibus , verbi gratia albedo conuenit prius Petro quam homini , vndè homo dicitur albus , quia Petrus est albus , hoc etiam testatur Porphyrius cap. 10. suæ introductionis , his verbis τὰ μὲν συμβεῖνοτα δῆτὰν αὐτόμων περιουσιών εἰφεσται , id est accidentia quidem 1° . in indiuiduis subsistunt : atqui vniuersalitas non conuenit prius rebus singularibus , imò nullo modò illis conuenit ( vt suprà ) ergo vniuersalitas non est accidens commune.

Respondent aduersarij accidens commune esse duplex, vnum Physicum, alterum Logicum: accidens commune Physicum inhæret subiecto

non verò Logicum , vndē ad argumentum: accidens commune conuenit prius rebus singularibus quam vniuersalibus : distingunt , accidens commune Physicum concedunt , accidens commune Logicum negant: docent autem vniuersalitatem esse accidens commune Logicum naturæ humanæ.

Insto , atqui vniuersalitas non est accidens commune Logicum naturæ humanæ : ergo nulla solutio : probatur antecedens , vniuersalitas non est accidens : ergo non est accidens commune Logicum : probatur antecedens , omne accidens est ens : atqui vniuersalitas non est ens : ergo non est accidens : major patet , ex diuisione entis in substantiam & accidens: probatur autem minor , omne ens est singulare vel vniuersale : atqui vniuersalitas neque est singularis neque vniuersalis : ergo vniuersalitas non est ens , major patet ex diuisione entis in vniuersale , & singulare , vndē Metaphysica docet omne ens esse vniuersale vel singulare : minor vero probatur per partes , 1<sup>o</sup>. vniuersalitas non est singularis , quia singulare non constituit rem vniuersalem : atqui vniuersalitas constituit rem vniuersalem : ergo vniuersalitas non est singularis , 2<sup>o</sup>. non est vniuersalis , quia vniuersale habet vniuersalitatem : atqui vniuersalitas non

habet vniuersalitatem : ergo vniuersalitas non est vniuersalis : minor patet , nam si vniuersalitas haberet vniuersalitatem , haberet vniuersalitatem à se distinctam , vel à se non distinctam : atqui neutrum dici potest : ergo vniuersalitas non habet vniuersalitatem : minor patet , 1° . non habet vniuersalitatem à se non distinctam , quia si haberet vniuersalitatem à se non distinctam haberet seipsam ( quod absurdum ) 2° . non habet vniuersalitatem à se distinctam , quia de illa alia vniuersalitate quæram , an sit singularis vel vniuersalis & sic dabitur in infinitum progressus .

Respondent quidam , vniuersalitatem neque esse substantiam neque accidens , sed modum : modus autem , neque est vniuersalis , neque singularis , quia esse singulare vel vniuersale sunt proprietates entis : modus autem ( qualis est vniuersalitas ) non est ens .

Insto , atqui vniuersalitas naturæ , verbi gratia humanæ , non est modus : ergo nulla solutio : probatur antecedens , omnis modus est internus vel externus : atqui vniuersalitas neuter est : ergo non est modus : probatur minor per partes ; 1° . vniuersalitas non est modus internus naturæ humanæ , quia modus internus naturæ humanæ conuenit naturæ humanæ in ordine ad

partes essentiales naturæ humanæ ; atqui vniuersalitas non conuenit naturæ humanæ in ordine ad partes essentiales ; ergo vniuersalitas non est modus internus naturæ humanæ ; major patet exemplo vniōnis corporis & animæ in Petro , quæ est modus internus Petri , quia conuenit Petro , in ordine ad partes essentiales ipsi Petro , scilicet in ordine ad corpus & animam : minor vero probatur quod conuenit naturæ humanæ in ordine ad res externas tantum , non conuenit ei in ordine ad partes essentiales : atqui vniuersalitas conuenit naturæ humanæ in ordine ad res externas tantum , scilicet in ordine ad Petrum Paulum , &c. qui sunt extra essentiam naturæ humanæ : ergo vniuersalitas non conuenit naturæ humanæ in ordine ad partes ei essentiales . 2°. vniuersalitas non est modus externus naturæ humanæ , quia modus externus determinat subjectum ad esse ad quod erat antea indifferens , verbi gratia fessio Petri est modus externus Petri , quia eum determinat ad sedendum , ad quod erat antea indifferens : atqui vniuersalitas non determinat naturam humanam ad tale esse ad quod erat antea indifferens : ergo vniuersalitas non est modus externus naturæ humanæ ; minor patet nam vniuersalitas determinat naturam humanam ad esse

esse vniuersalem, natura autem humana non erat antea indifferens ad esse vniuersalem, nam semper est vniuersalis secundum aduersarios.

Obijcitur 1°. vniuersale formale non fit per operationē intellectus: ergo vniuersale formale est à parte rei: probatur antecedēs quicquid fit per operationē intellectus est posterius operatione intellectus, atqui vniuersale formale non est posterius operatione intellectus, ergo vniuersale formale non fit per operationem intellectus: probatur minor vniuersale formale est prius operatione intellectu: ergo non est posterius: probatur antecedens, vniuersale formale est prius intellectu, ergo est prius operatione intellectus: probatur antecedens, objectum est prius sua potentia quia specificat suam potentiam, atqui vniuersale formale est objectum intellectus, ergo vniuersale formale est prius intellectu. Respondent quidam negando majorem ultimi argumenti ad ejus probationem vero dicunt, specificans intrinsecè potentiam esse quidam prius potentia, non verò specificans extrinsecè: quale est objectum nos etiam respondemus negando majorem nam operationes intellectus sunt objectum intellectus, quis tamē dixerit operationes intellectus esse priores intellectu à quo producun-

tur? 2°. distingui potest major hoc pacto objectum est prius sua potentia distinguo : objectum materiale concedo : objectum formale nego : vniuersalitas autem est objectum formale, quia est ratio sub qua consideratur objectum materiale, objectum enim materiale est res quae consideratur , & objectum formale est modus quo consideratur. 3°. distinguimus majorem objectum est prius sua potentia distinguimus: objectum speculabile concedimus : objectum practicum vel factibile à potentia negamus vniuersale autem formale est practicum siue factibile ab intellectu.

Dices objectum practicum specificat suam potentiam : ergo objectum practicum est prius sua potentia, ac proinde licet vniuersale formale sit objectum practicum non definit esse prius sua potentia. Respondeo distinguendo antecedens , objectum practicum est prius sua potentia distinguo : objectum practicum sumptum in communi concedo : sumptum in singulari pro hoc vel illo objecto pratico nego ; & ita vniuersale formale sumptum in communi est prius aliqua prioritate naturae intellectu: sumptum vero in singulari pro hoc vel illo vniuersali formalis est posterius , quia haec vel illa vniuersalitas fit per operationem intellectus ; quæ-

stio autem est de hac vel illa vniuersalitate  
vtrum existat à parte rei.

Obijcitur 2°. sicut se habet sensus ad singulare, ita se habet intellectus ad vniuersale, atque sensus non facit singulare; ergo neque intellectus vniuersale: major patet, ex eo quod sicut singulare est objectum sensus, ita vniuersale est objectum intellectus: minor etiam liquet, nam sensus neque facit singulare materiale, verbi gratia Petrum, neque facit singulare formale siue singularitatem quae est ens rationis. Respondeo ad majorem cum hac distinctione sicut se habet sensus ad singulare, ita se habet intellectus ad vniuersale distinguo in quibusdam concedo: in omnibus nego: differunt enim; 1°. quia singulare est objectum adæquatum sensus; vniuersale vero non est objectum adæquatum intellectus, quandoquidem singulare est etiam objectum intellectus. 2°. sensus cognoscit singulare tantum quando & quan- diù est præsens: intellectus vero cognoscit vniuersale quando vniuersale est præsens & etiam quando est absens. 3°. singulare materiale, verbi gratia Petrus est objectum sensus, sed non singulare formale, siue singularitas quae est ens rationis: vniuersale autem tum materiale, tum formale est objectum intellectus, ac proin-

de ob illam disparitatem à sensu ad intellec-  
tum non valet consequentia.

Obijcitur 3°. vniuersalitas non fit ab intel-  
lectu Petri vel Pauli , ergo vniuersalitas est à  
parte rei : probatur antecedens , quicquid fit  
ab intellectu Petri vel Pauli est singulare , atqui  
vniuersalitas non est singularis , ergo vniuer-  
salitas non fit ab intellectu Petri: &c. probatur  
major , quicquid fit à causa singulari est singu-  
lare , atqui quicquid fit ab intellectu Petri fit  
à causa singulari , ergo quicquid fit ab intellec-  
tu Petri est singulare. Respondeo distinguen-  
do majorem , quicquid fit à causa singulari est  
singulare , distinguo est singulare in effendo  
concedo : est singulare in repræsentando nego:  
hæc igitur vniuersalitas naturæ humanæ quæ  
fit à Petro est singularis in se ipsa , sed vniuer-  
salis in repræsentatione , sicut speculum rotun-  
dum potest dici rotundum in effendo , & qua-  
dratum in repræsentando , quia repræsentat  
rem quadratam quæ illi obijcitur.

Obijcitur 4°. vniuersalia sunt substantiæ,  
atqui intellectus non facit substancias , ergo in-  
tellectus non facit vniuersalia : major patet,  
nam vniuersalia sunt homo animal , quæ sunt  
veræ substantiæ. Respondeo 1°. hoc argumen-  
tum Scaligeri aduersus Cardanum concludere

particulariter tantum, quia omnia vniuersalia non sunt substantiae. Respondeo 2°. distinguendo majorem vniuersalia sunt substantiae, distinguo: vniuersalia sumpta materialiter pro rebus quae dicuntur vniuersales, concedo; vniuersalia sumpta formaliter, scilicet pro vniuersalitate à qua res dicuntur vniuersales nego: vnde patet intellectum non facere quidam vniuersale materiale benè tamèn formale.

Obijcitur 5°. quod potest definiri vna definitione perfecta, est vnum specie, ( quia sola species est capax perfectæ definitionis: ) atqui natura verbi gratia humana existens à parte rei potest definiri vna definitione perfecta. ergo natura humana existens à parte rei est vna specie: minor patet, natura enim humana definiri potest, animal rationale, quæ definitio est vna simplex & perfecta. Respondeo distinguendo majorem, quod potest definiri vna definitione perfecta, est vnum specie, distinguo, est vnum specie unitate specifica materiali, concedo: formalis nego: unitas autem specifica materialis in eo sita est, quod individua verbi gratia Petrus, Paulus, &c. non differunt specie à parte rei, & possunt concipi participare unam & eandem speciem.

Obijcitur 6°. & vltimò natura verbi gratia

humana est vniuersalis à parte rei : ergo vniuersale formale , siuè vniuersalitas existit à parte rei : probatur antecedens , quicquid est vnum specie à parte rei , est vniuersale à parte rei : atqui natura humana est vna specie à parte rei : ergo natura humana est vniuersalis à parte rei : probatur minor , quicquid est indiuisum specie à parte rei , est vnum specie à parte rei : atqui natura humana est indiuisa specie à parte rei : ergo natura humana est vna specie à parte rei : ratio majoris est quia vnum nihil est aliud quam indiuisum , ac proinde indiuisum specie à parte rei , est vnum specie à parte rei : probatur autem minor , quod est non diuisum specie à parte rei est indiuisum specie à parte rei : atqui natura humana est non diuisa specie à parte rei : ergo natura humana est indiuisa specie à parte rei : major patet , eo quod indiuisum & non diuisum sunt idem : probatur autem minor , natura humana non diuiditur specie à parte rei : ergo est non diuisa specie à parte rei : antecedens evidens est , si enim natura humana diuidetur specie , darentur plures species naturæ humanae . Natura autem humana non habet plures species sub se , sed plura indiuidea tantum scilicet Petrum , Paulum , &c. Respondeo ad majorem penultiimi argumenti cum hac distin-

ctione, quod est non diuisum specie à parte rei, est indiuisum specie à parte rei, distinguo; est indiuisum specie negatiuè concedo: est indiuisum specie positiuè nego. Natura igitur humana est indiuisa & vna specie à perte rei vnitate negatiua, scilicet est vna specie, quatenus non est diuisa specie à parte rei, sed non est indiuisa & vna specie à parte rei vnitate positiua, quia non est positiuè vna & indiuisa in suis individuis, sed est diuisa in illis per plures differentias numericas. Sola autem vnitas specifica positiua constituit rem formaliter vniuersalem.

Instabis 1°. atqui natura humana est vna specie positiuè à parte rei, ergo nulla solutio: probatur antecedens, natura humana à parte rei est indiuisa specie positiuè, ergo est vna specie positiuè à parte rei: probatur antecedens. Omne ens non diuisum specie est indiuisum specie positiuè: atqui natura humana à parte rei est ens non diuisum specie ex concessis, ergo natura humana à parte rei est indiuisa specie positiuè, siue est vna specie vnitate positiua: ratio majoris est quia ens non diuisum, idem omnino significat ac nō indiuisum. Sicut enim nō indiuisum dicit negationem diuisionis connotando ens, vel est negatio diuisionis in

ente : ita ens non diuisum dicit negationem diuisionis in ente ; sicut indiuisum specie positiuè , dicit negationem diuisionis specificæ in ente , similiter ens non diuisum specie dicit negationem diuisionis specificæ in ente . Respondeo ad majorem tertij argumenti cum hac distinctione . Omne ens non diuisum specie , est indiuisum specie positiuè : distinguo . Si illud ens sit communicabile multis , concedo : Si sit singulare & incommunicabile multis , nego . natura autem humana à parte rei est ens singulare , vel saltem est multa entia singularia , est scilicet Petrus , Paulus , &c. sed non est ens communicabile multis .

Instabis 2°. atqui natura humana à parte rei est ens communicabile multis , ergo nulla solutio : probatur antecedens : quicquid est species est communicabile multis : atqui natura humana à parte rei est species : ergo natura humana à parte rei est communicabilis multis : probatur minor , natura humana à parte rei vel est vna species , vel multiplex species : atqui natura humana non est à parte rei multiplex species ( vt suprà ) ergo natura humana à parte rei est vna species . Respondeo 1°. negando majorem ultimi argumenti , quia quod non est species à parte rei , neque est vna species , neque est

multiplex species à parte rei , natura autèm humana non est species à parte rei, hoc exemplo rem illustro , ideò Angelus neque vnum, neque multiplex est corpus à parte rei, quia ab-solutè non est corpus. Respondeo 2°. ad ma-jorem cum hac distinctione , natura humana à parte rei vel est vna species , vel multiplex spe-cies : distinguo , est vna vel multiplex species à parte rei materialiter concedo ; formaliter nego : natura igitur humana est vna species à parte rei materialiter , siue est vna species ma-terialis , sed non est vna vel multiplex species formaliter à parte rei , quia à parte rei non est formaliter species , vt suprà .

**QVÆSTIO VII.**

*Vtrum vniuersale sit genus vniuocum quin-  
que prædicabilium.*

**Q** VÆSTIONEM arduam aggredimur, & quæ vulgò Philosophorum crux vocatur, in qua quæremus vtrum vniuersale sit genus quinque prædicabilium , vt autèm legitimâ methodo procedamus.

Notamus 1°. vniuersale sumi dupliciter, vel

materialiter , vel formaliter , vel concretiū: sumptum materialiter est res quæ dicitur vniuersalis , verbi gratia animal : sumptum formaliter est forma à qua res dicitur vniuersalis siue vniuersalitas : sumptum concretiū est res quatenus vniuersalis , vel vniuersalitas quatenus denominat rem vniuersalem : vniuersale sumitur hic concretiū , ita ut sensus quæstionis sit , vtrum vniuersalitas quatenus denominat rem vniuersalem , sit genus generis , speciei , differentiæ &c. necne?

Notamus 2°. vniuersale esse duplex : vnum completum , alterum incompletum : vniuersale completum est natura integra apta in esse multis , & quæ non est differentia essentialis alterius : vniuersale incompletum est natura apta in esse multis quæ est differentia essentialis alterius : vniuersale autem completum est genus quinque prædicabilium.

Notamus 3°. genus esse duplex , vnum materiale & quod , alterum formale & quo : genus materiale & quod est res quæ dicitur genus , genus formale & quo est forma , scilicet genereitas à qua res dicitur genus . Genus materiale dicitur genus quod , quia est illud quod denominatur genus : genus formale dicitur genus quo , quia est id quo mediante aliquid est

genus ; mediante enim genereitate , animal,  
verbi gratia est genus.

Notamus 4°. dari categoriam entium rationis , sicut datur categoria entium realium , vt probatur hoc argumento . Vbi datur dispositio generis , specierum , & individuorum cum differentijs à latere , ibi datur categoria , atqui inter entia rationis datur dispositio generis , specierum , & individuorum vñà cum differentijs à latere , ergo inter entia rationis datur categoria : minor patet , nam ens rationis est genus sumnum , negatio , priuatio , & relatio rationis sunt genera subalterna : sub relatione rationis continetur aliud genus subalternum , scilicet vniuersalitas , sub vniuersalitate continentur species infimæ scilicet genereitas , specieitas , &c. Sub genereitate continentur individua , scilicet hæc & illa genereitas , &c. Quælibet autem species subalterna habet suam differentiam , quæ est à latere , siue in linea collaterali .

Notamus 5°. sicut in categoria entium realium , quando inferius prædicatur de suo superiori , prædicatio est indirecta : verbi gratia hæc prædicationes sunt indirectæ , animal est homo , viuens est animal . Ita in categoria entium rationis , quando inferius prædicatur de suo supe-

riori , prædicatio est indirecta , quare hæ prædicationes sunt indirectæ , vniuersale est genus , vniuersale est species , &c. His prænotatis clarum est hunc esse quæstionis statum , vtrum vniuersale sit genus vniuocum quinque prædicabilium ? Cui quæstioni respondemus affirmatiuè & sententiam nostram confirmamus duabus assertionibus .

Prior est *vniuersale est genus quinque prædicabilium* : quam probamus hoc argumento , quod prædicatur de quinque prædicabilibus tanquam de suis speciebus est eorum genus , atqui vniuersale prædicatur in quid de quinque prædicabilibus , tanquam de suis speciebus : ergo vniuersale est eorum genus : minor patet , nam quærenti quid est genus , quid est species , &c. Benè respondetur est vniuersale , præterea genus , species , &c. Differunt inter se per differentias specificas quæ continentur in eorum definitionibus , ac proinde differunt specie.

Posterior assertio est , *vniuersale est genus uniuocum ad quinque prædicabilia* : quæ probatur hoc argumento , genus quod participatur æqualiter à suis speciebus est vniuocum , atqui vniuersale est genus quod participatur æqualiter à suis speciebus scilicet à quinque prædicabilibus , ergo vniuersale est corum genus vniuocum .

Contrà priorem assertionem : obijcitur 1°. vniuersale non est genus : ergo falsa assertio: probatur antecedens , si vniuersale esset genus, vel esset omne genus , vel hoc numero genus: atqui neutrum dici potest : ergo non est genus: 1°. non est omne genus, quia non est substantia, non est quantitas quæ sunt genera: 2°. non est hoc numero genus , quia hoc numero genus non latius patet genere : atqui vniuersale latius patet genere cum vniuersale sit genus generis: ergo vniuersale non est hoc numero genus: major probatur , indiuiduum generis non latius patet genere : atqui hoc numero genus est indiuiduum generis: ergo hoc numero genus non latius patet genere. Respondeo vniuersale esse hoc numero genus , ad illud verò quod dicitur hoc numero genus non latius patere genere. Respondeo cum hac distinctione, hoc numero genus non latius patet genere, distinguo: sumptum formaliter pro hac numero genereitate , concedo : sumptum materialiter pro re quæ dicitur hoc genus , nego , vniuersale autèm est hoc genus materialiter sumptum.

Obijcitur 2°. genus non prædicatur de vniuersali: ergo vniuersale non est genus : probatur antecedens , species non prædicatur de suo

genere , verbi gratia homo de animali : atqui genus est species vniuersalis : ergo genus non prædicatur de vniuersali : minor patet ex prædictis. Respondeo distinguendo majorem, species non prædicatur de suo genere , distinguo: non prædicatur essentialiter , concedo: non prædicatur accidentariò , nego: genus autem prædicatur de vniuersali accidentariò, quia non est de essentia vel de definitione vniuersalis, ut sit genus.

Instabis , atqui genus prædicatur essentialiter de vniuersali : ergo nulla solutio , probatur antecedens: omne genus prædicatur essentialiter de sua specie, verbi gratia animal prædicatur essentialiter de homine , atqui vniuersale est species generis : ergo genus prædicatur essentialiter de vniuersali: probatur minor, relatio rationis est genus: atqui vniuersale est species relationis rationis : ergo vniuersale est species generis : major patet in categoria entium rationis , minor etiam liquet, nam vniuersale continetur sub relatione rationis , tanquam species sub suo genere , ut vidimus suprà. Respondeo genus esse duplex, vnum materiale, siue quod , alterum formale , siue quo , genus materiale, siue quod, est res quæ dicitur genus, verbi gratia animal , genus formale siue quo

est genereitas à qua aliquid dicitur genus, unde ad argumentum relatio rationis est genus, distingo, est genus materiale, siue quod, concedo: est genus formale siue quo, nego: vniuersale igitur est species generis materialis, sed non est species generis formalis, siue genereitatis, ac proinde genus materiale prædicatur essentialiter de vniuersali, sed non genus formale, hoc autem genus formale est species vniuersalis, & de illo nunc agitur.

Obijcitur 3<sup>o</sup>. genus primum prædicabile non est species vniuersalis: ergo vniuersale non est genus generis primi prædicabilis: probatur antecedens, genus nullo modo est species: ergo non est species vniuersalis: probatur antecedens, omnis species habet suprà se genus, atqui genus non habet suprà se genus: ergo genus non est species: probatur minor, quod est suprà omne genus non habet suprà se genus: atqui genus est suprà omne genus: ergo non habet suprà se genus: probatur minor, quod est suprà supremum genus, est suprà omne genus: atqui genus est suprà supremum genus: ergo est suprà omne genus: probatur minor, quod prædicatur de genere supremo, est suprà genus supremum: atqui genus prædicatur de genere supremo: ergo genus est suprà supremum ge-

nus : minor patet , nam genus prædicatur de substantia , de quantitate , quæ sunt genera supra. Respondeo ad majorem quarti argumenti : quod est suprà omne genus , non habet suprà se genus : distingo , sub eodem respectu concedo , sub diuerso : nego , genus autem primum prædicabile , est suprà omne genus accidentariò , quia prædicatur accidentariò de omni genere ( scilicet materiali ) habet verò suprà se essentialiter aliquod genus , quia vniuersale est superius essentialiter genere : genus igitur primum prædicabile , est superius , & inferius vniuersali , est superius accidentariò , quia prædicatur accidentariò de vniuersali , & est inferius essentialiter , quia continetur essentialiter sub vniuersali .

Obijcitur 4° . si vniuersale esset genus quinque prædicabilium , quinque prædicabilia essential species vniuersalis : atqui falsum posterius : ergo & prius : probatur minor , vnicum prædicabile scilicet secundum est species : ergo quinque prædicabilia non sunt species. Respondeo speciem esse duplē vnam materialem , & quæ , alteram formalem , & qua species materialis , & quæ , est res quæ dicitur species , species formalis & qua , est specieitas , à qua res denominatur species : vndè ad argumentum ,

vnicum

vnicum prædicabile est species : distinguo , est species formalis siue specieitas concedo : est species materialis , siue quæ : nego , genus igitur , differentia , proprium , & accidens commune , sunt species materiales & species quæ , tum subijcibiles , tum prædicabiles : subijcibiles quia subijciuntur vniuersali , tanquam suo generi : prædicabiles quia immediatè prædicantur de pluribus indiuiduis in quid , scilicet genus de hoc & illo genere , differentia de hac & illa differentia , &c.

Instabis 1°. atqui genus non est species materialis siue quæ : ergo nulla solutio : probatur antecedens , si genus esset species materialis , species formalis & siue specieitas , affirmaretur de genere , atqui falsum posterius , ergo & prius : consequentia majoris patet , nam species materialis denominatur species à specieitate , ac proinde specieitas affirmatur de omni specie materiali : probatur vero minor , duarum specierum inter se oppositarum vna non affirmatur de altera : verbi gratia homo non affirmatur de bruto , atqui genus & species formalis , siue specieitas sunt duæ species inter se , oppositæ : ergo vna non affirmatur de alia , ac proinde specieitas non affirmatur de genere . Respondeo ad maiorem ultimi argumenti cum hac

distinctione, vna species non affirmatur de alia sibi opposita: distinguo, non affirmatur essentialiter concedo: essentialiter enim opponuntur, non affirmatur accidentariò nego: specieitas autem affirmatur de genere accidentariò, nam non est de essentia generis ut sit species.

Instabis 2°. atqui specieitas affirmatur essentialiter de genere, ergo nulla solutio: probatur antecedens, specieitas est de essentia generis: ergo affirmatur essentialiter de genere: probatur antecedens, specieitas est de essentia omnis speciei materialis: ergo est de essentia generis: consequentia patet, quia genus est species materialis ex concessis: probatur vero antecedens, quicquid est in definitione speciei materialis, est de essentia speciei materialis, atqui specieitas est in definitione speciei materialis: ergo specieitas est de essentia speciei materialis: minor patet, hac definitione speciei materialis, species materialis est *ea quæ habet specieitatem, vel quæ denominatur à specieitate.* Respondeo speciem materialem posse concipi dupliciter, vel specificatiuè, quatenus est genus, vel differentia, &c. vel reduplicatiuè, quatenus est species materialis; vndē ad argumentum specieitas est de essentia omnis speciei materialis: distinguo, sumptæ reduplicatiuè,

quatenus est species materialis concedo : sumptæ specificatiuè prout est genus , vel differentia nego . h̄c autem agimus de specie materiali sumpta specificatiuè , loquimur enim de genere , differentia , &c.

Obijcitur 5°. secundum prædicabile non est species vniuersalis : ergo vniuersale non est genus quinque prædicabilium : probatur antecedens , species formalis siue specieitas est secundum prædicabile : atqui species formalis siue specieitas non est species vniuersalis : ergo secundum prædicabile non est species vniuersalis : probatur minor , omnis species habet specieitatem , sicut omne album habet albedinem , atqui specieitas non habet specieitatem : ergo specieitas non est species : minor probatur , si specieitas haberet specieitatem vel haberet se ipsam , ( quod est dictu absurdum ) vel haberet aliam specieitatem à se distinctam , ( quod etiam est falsum ) nam illa alia specieitas foret etiam species , ac proinde haberet specieitatem , & ita daretur progressus in infinitum ; quare concludendum est specieitatem non habere specieitatem , ac proinde non esse speciem . Respondeo negando minorem tertij argumenti , & ad ejus probationem dico specieitatem in communi habere aliam specieitatem , scilicet spe-

cieitatem in singulari , quæ tribuitur illi à Petro vel à Paulo concipiente specieitatem esse prædicabile de pluribus solo numero differen-  
tibus in quid , neque potest colligi illam aliam  
specieitatem esse speciem , quia illa alia spe-  
cieitas est singularis , & conuenit specieitati per  
operationem intellectus verbi gratia Petri vel  
Pauli , &c.

Contra posteriorem assertionem obijcitur  
1°. genus vniuocum participatur æqualiter à  
suis speciebus : atqui vniuersale non participa-  
tur æqualiter à suis speciebus , scilicet à quin-  
que prædicabilibus : ergo vniuersale non est  
genus vniuocum : probatur minor , vniuersale  
magis participatur à genere quam à specie : er-  
go non participatur æqualiter à suis speciebus:  
probatur antecedens , genus est magis vniuer-  
sale quam species : ergo vniuersale participatur  
magis à genere quam à specie : probatur ante-  
cedens , quod est aptum in esse pluribus quam  
species , est magis vniuersale quam species : at-  
qui genus est aptum in esse pluribus quam spe-  
cies , verbi gratia animal est aptum in esse plu-  
ribus quam homo , ergo genus est magis vni-  
uersale quam species . Respondeo ad majorem  
vltimi argumenti cum hac distinctione , quod  
est aptum in esse pluribus quam species , est

magis vniuersale : distinguo ; est magis vniuersale extensiū, siue est majus vniuersale concedo: est magis vniuersale intensiuē, siue magis habet essentiam vniuersalis nego: genus igitur est quidem maius vniuersale quam species, sed non est magis vniuersale.

Obijcitur 2°. substantiæ & accidentia non habent genus vniuocum : atqui prædicabilia sunt substantiæ, & accidentia: ergo prædicabilia non habent genus vniuocum, ac proinde vniuersale non est genus vniuocum respectu quinque prædicabilium, ratio majoris est quia si substantia & accidens haberent genus vniuocum illud genus vniuocum foret ens, ens autem non est vniuocum ex nostra sententia: probatur vero minor, tria prima prædicabilia scilicet genus, verbi gratia animal, species verbi gratia homo, differentia verbi gratia rationale sunt substantiæ, duo vero ultima sunt accidentia: ergo prædicabilia sunt substantiæ & accidentia. Respondeo ad majorem primi argumenti cum hac distinctione, substantiæ & accidentia non habent genus vniuocum: distinguo, sumpta simpliciter ut sunt substantiæ & accidentia concedo: sumpta secundum quid ut sunt vniuersalia nego: sumpta enim ut vniuersalia conueniunt vniuocè in ratione vniuersalis.

Obijcitur 3º. & vltimò quinque prædicabilia non participant æqualiter naturam vniuersalis: ergo vniuersale non est genus vniuocum ad quinque prædicabilia: probatur antecedens , ea quorum alia prædicantur per se, alia vero per accidens , non participant æqualiter naturam vniuersalis : atqui prædicabilium, alia prædicantur per se , alia per accidens , sc: tria prima prædicabilia prædicantur per se, duo vero vltima prædicantur per accidens , ergo prædicabilia non participant æqualiter naturā vniuersalis. Respondeo distinguendo majorem vltimi argumenti , ea quorum alia prædicantur per se , & alia prædicantur per accidens , non participant æqualiter naturam vniuersalis : distinguo , si  $\text{non}$  per se , &  $\text{non}$  per accidens se teneant ex parte vniuersalis concedo: si se teneant ex parte differentiarum prædicabilium nego: vniuersale autem sumptum in communi nihil est aliud , quam  $\text{non}$  vnum aptum in esse multis , & præscindit à  $\text{non}$  per se , &  $\text{non}$  per accidens.



## QVÆSTIO VIII.

*De numero prædicabilium.*

**I**N quæstione præsenti disquiremus quot sint prædicabilia ; alij volunt plura esse prædicabilia quam quinque , alij verò contendunt esse pauciora ; nos verò medium viam ineuntes tutissimi ibimus docentes quinque esse prædicabilia neque plura , neque pauciora , & nostram sententiam probamus authoritate Porphyrij , qui neque plura , neque pauciora nobis proposuit prædicabilia : eam etiam confirmamus hac ratione tot sunt prædicabilia quot sunt modi prædicandi , atqui quinque tantum sunt modi prædicandi : ergo quinque tantum sunt prædicabilia : probatur minor , quicquid prædicatur , prædicatur in quid , vel in quale , vel in quale quid ; si prædicetur in quid , vel prædicatur de multis specie differentibus , & est genus : vel prædicatur de multis solo numero differētibus , & est species : si prædicetur in quale ; vel prædicatur in quale necessariò , & est proprium 4°. modo ; vel prædicatur in quale contingenter , & est accidens commune : si

verò prædicetur in quale quid est differentia specifica , ac proinde quinque tantum sunt modi prædicandi , neque plures , neque pauciores: probatâ nostrâ sententiâ , 1°. respondebimus argumentis aduersariorum , qui augent numerum prædicabilium ; & postea satisfaciemus objectionibus eorum , qui minuunt prædicabilium numerum.

Obicitur 1°. quot sunt modi essendi , totidem sunt modi prædicandi , atqui decem sunt modi essendi : ergo decem sunt modi prædicandi : major patet , nam modus prædicandi sequitur modum essendi : probatur verò minor , datur unus modus essendi substantiæ : & dantur nouem modi essendi accidentium , nam aliis est modus essendi substantiæ , siue alia est essentia substantiæ ; alias est modus essendi quantitatis , alias qualitatis , &c. Respondeo 1°. negando majorem , modus enim prædicandi non sequitur modum essendi , sed modum in essendi , sunt autem decem modi essendi , sed quinque tantum sunt modi in essendi , ac proinde quinque tantum sunt modi prædicandi. Respondeo secundò ad majorem cum hac distinctio ne: quot sunt modi essendi in ordine ad substantiam concedo ; quot sunt modi essendi in ordine ad inferiora categorica nego : acciden-

tia autem habent nouem modos essendi in ordine ad sua inferiora categorica, sed duos tantum habent modos essendi in ordine ad substantiam: quia respectu substantiae, vel sunt praedicabilia in quale necessariò, vel in quale contingenter tantum.

Obijcitur 2°. Definitio est vnum praedicabile distinctum à quinque: ergo dantur sex praedicabilia: antecedens patet, nam hæc definitio hominis *animal rationale* est praedicabilis de homine, & tamè non est genus, nec species, &c. Ergo definitio est vnum praedicabile distinctum à quinque. Respondeo definitionem esse vnum praedicabile complexum, sed non simplex hic autem agimus de numero praedicabilium simplicium.

Obijcitur 3°. Datur vñus modus praedicandi distinctus à quinque: ergo sunt sex modi praedicandi, ac proinde sunt sex praedicabilia: probatur antecedens, nō praedicari de multis genere differentibus in quæstione quid est vñus modus praedicandi distinctus à quinque, atqui datur nō praedicari de multis genere differentibus: &c. ergo datur vñus modus praedicandi distinctus à quinque: major patet, nam omnis modus praedicandi de multis in quid, est vel praedicandi de multis specie differentibus, vel de multis solo

numero differentibus tantum: probatur minor, genus supremum prædicatur de multis genere differentibus, verbi gratia substantia prædicatur de homine & planta quæ genere differunt, quia genus plantæ est viuens, genus verò hominis est animal. Respondeo ad majorem secundi argumenti cum hac distinctione nō prædicari de multis genere differentibus in quid est unus modus prædicandi distinctus à quinque: distinguo est distinctus accidentariò concedo: est distinctus essentialiter nego: nam genus supremum prædicatur per se de multis specie differentibus; per accidens verò dicitur prædicari de multis genere differentibus, quatenus accedit speciei subalternæ esse genus: ac proinde datur unum prædicabile distinctum accidentariò à quinque, sed non est distinctum essentialiter: quare omne genus prædicatur de multis specie differentibus, specie scilicet vel subalterna, vel infima.

Obijcitur 4°. Dantur prædicabilia quæ neque sunt genera, neque species, neque differentiæ, &c. Ergo sunt plura quam quinque: probatur antecedens, allatis his propositionibus, homo est lapis, homo non est lapis, album est corpus, in quibus lapis est prædicabile & tamè non est genus, vel species, vel diffe-

gentia , vel accidens , vel proprium , vel accidens communis hominis : in ultima etiam propositione corpus est praedicabile de albo , & tamē non est ejus genus , vel species , &c. Ergo dantur praedicabilia distincta à quinque. Respondeo omne verum praedicabile praedicari verè , affirmatiuè , & directè ; si vero sempèr non praedicetur affirmatiuè de suo subjecto aliquando tamē potest de illo verè , & affirmatiuè praedicari : lapis autēm non praedicatur verè & affirmatiuè de homine , ac proinde non est verum praedicabile : in prima enim propositione praedicatur quidem affirmatiuè de homine , sed non verè : in secunda praedicatur verè , sed non affirmatiuè : in tertia propositione corpus non est etiam verum praedicabile , etiamsi praedicetur verè & affirmatiuè de albo , quia non praedicatur directè de albo ; quandoquidem substantia non praedicatur directè de accidenti , sed accidens de substantia .

Obijcitur 5°. & ultimò Sicut se habent genus & species , ita se habent differentia genera , & differentia specifica ; atqui genus & species sunt duo diuersa praedicabilia , ergo differentia genera & differentia specifica sunt duo diuersa praedicabilia , ac proinde sunt sex ; ratio consequentiæ majoris est quia sicut genus

prædicatur de pluribus specie differentibus &c.  
Ita & differentia generica : sicut species prædicatur de pluribus solo numero differentibus,  
&c. Ita & differentia specifica. Respondeo  
negando consequentiam , & ad ejus probationem dico dari quidem aliquam paritatem, ut  
probat argumentum ; sed magna etiam datur  
disparitas , eo quod genus prædicatur in quid  
incompletè , species verò in quid completè:  
differentia vero generica & differentia specifica  
prædicantur ambæ in quid incompletè:nunc  
nobis diluendæ sunt objectiones quæ videntur  
probare pauciora esse prædicabilia quam quinque.


Obijcitur igitur 1°. Phil. lib. I. Top. cap. 4.  
Recenset quatuor tantum prædicabilia , nimirum definitionem , genus , proprium , &  
accidens commune , ergo sunt tantum quatuor  
prædicabilia. Respondeo 1°. negando consequentiam quia ibi loci Philosophus non agit ex  
professo de numero prædicabilium, sed agit de  
medijs ad probandam , vel refutandam Thesis.  
Respondeo 2°. Philosophum non recensere quidem explicitè speciem , & differentiam;  
ea tamen recenset implicitè quia genus maximum  
habet affinitatem cum specie , ob relationem necessariam quæ datur inter genus &

species : magnam etiam habet affinitatem cum differentia , per quam diuiditur , & cum qua constituit speciem ; adde quod eodem loco Philosophus commemorat expressè differentiam , dum ait eam esse simul disponendam cum genere .

Obijcitur 2° . Differentia non est vnum vniuersale , ergo non sunt quinque : probatur antecedens , omne vniuersale est commune , at differentia non est communis , ergo differentia non est vniuersalis : probatur minor , omne commune facit conuenire multa , atqui differentia non facit conuenire multa , ergo differentia non est communis ; ratio majoris est quia omne commune conuenit multis , ac proinde facit conuenire multa : probatur autem minor , quod facit differre non facit conuenire multa , atqui differentia facit differre , ergo differentia non facit conuenire multa . Respondeo ad maiorem ultimi argumenti cum hac distinctione , quod facit differre non facit conuenire multa , distinguo : sub eodem respectu , concedo : sub diuerso nego : differentia autem specifica ( de qua nunc ) facit differre subjectum suum proximum , & facit conuenire subjecta sua remota , verbi gratia rationale facit differre suum subjectum proximum , ( scilicet hominem à

bruto ) facit vero conuenire inter se sua subjecta remota scilicet Petrum Paulum , &c. Qui conueniunt in eo quod sint rationales.

Obijcitur 3°. & vltimò sunt tantùm duo prædicabilia scilicet in quid , vel in quale , ergo non sunt quinque. Respondeo esse duo tantùm prædicabilia in genere , sed quinque sunt in specie ; nam prædicabile in quid subdividitur in nò prædicabile in quid incompletè : nò prædicabile in quid completè : & nò prædicabile in quale quid: prædicabile vero in quale subdividitur in prædicabile in quale necessariò: & prædicabile in quale contingenter ; sunt igitur quinque tantùm prædicabilia vel saltem ad illa quinque omnia prædicabilia reuocantur per analogiam , vt personalitas , ratio individui , quæ reuocantur ad speciem.



### QVÆSTIO IX.

*Vtrum definitio generis tradita à Porphyrio  
sit legitima.*

**P**O R P H Y R I V S definiuit genus, prædicabile de multis specie differentibus in quæstione quid , nunc autem quæritur , vtrum hæc

definitio sit perfecta, cui quæstioni responde-  
mus negatiuè, & sententiam nostram proba-  
mus, hoc argumento.

Definitio quæ traditur per proprietatem est  
imperfecta, atqui definitio Porphyriana gene-  
ris traditur per proprietatem scilicet per  $\tau$  præ-  
dicabile, quod est proprietas vniuersalis; nam  
posse prædicari sequitur posse in esse, ergo de-  
finitio Porphyriana generis est imperfecta:  
eam tamèn censemus legitimam esse, quatenus  
scilicet distinguit genus ab omnibus alijs præ-  
dicabilibus.

Obijcitur 19. Proprietas non potest tenere  
locum rei cuius est proprietas, atqui prædica-  
bile est proprietas vniuersalis, ergo prædica-  
bile non potest tenere locum vniuersalis, ac  
proinde Porphyrius maliè posuit prædicabile  
pro vniuersali in definitione generis: major  
patet, nam v. g. risibilitas quæ est accidens &  
proprietas hominis non potest tenere locum  
hominis, qui est substantia. Respondeo distin-  
guendo majorem, proprietas non potest tene-  
re locum rei cuius est proprietas, distinguo:  
proprietas sumpta in abstracto, concedo: pro-  
prietas sumpta in concreto nego; ita risibilitas  
non potest poni pro homine, benè tamèn  $\tau$  ri-  
sibile: prædicabilitas etiam non potest poni

pro vniuersali , benè tamè nò prædicabile.

Obijcitur 2°. Definitio generis tradita à Porphyrio est essentialis , ergo est definitio perfecta : probatur antecedens , definitio qua relatum definitur per respectum ad suum correlatum est essentialis , atqui definitio generis tradita à Porphyrio est definitio qua vnum relatum definitur per respectum ad suum correlatum ( scilicet genus per respectum ad suas species ) ergo definitio generis tradita à Porphyrio est essentialis . Respondeo distinguendo majorem , definitio qua vnum relatum definitur per respectum ad suum correlatum est essentialis , distinguo : si definiatur per priorem respectū quem habet ad suum correlatum , concedo : si definiatur per posteriorem respectum , nego : aptitudo autem prædicandi de multis speciebus per quam definitur genus , est posterior respectus quem habet genus ad suas species , aptitudo vero in essendi multis speciebus est prior respectus quem habet genus ad suas species.



**QVÆSTIO X.**

*Quid definatur hac definitione generis.*

**Q**VÆSTIONI præsenti respondentes dicimus 1°. solum genus materiale , verbi gratia animal non definiri , quia hæc definitio non est essentialis generi materiali verbi gratia animali: dicimus 2°. solum genus formale verbi gratia solam genereitatem non definiri , quia genereitas est quidem vnitas & aptitudo prædicandi de multis specie differentibus, &c. Sed non est vna apta prædicari de multis specie differentibus : dicimus igitur 3°. genus sumptum concretiū definiri , siue genus materiale quatenus afficitur formalī , siue quatenus afficitur genereitate: hoc exemplo rem illustro, quando album definitur coloratum visum disgregans , solum album materiale , siue solum subjectum albedinis non definitur: solum etiam album formale , siue sola albedo non definitur, sed definitur subjectum albedinis quatenus affectum albedine.

Obijcies genus concretiū sumptum non potest definiri , ergo falsa assertio . probatur

O

antecedens , ens per accidens non potest definiri , atqui genus concretiuè sumptum est ens per accidens , ergo genus concretiuè sumptum non potest definiri : probatur minor , quod constat ex prima & secunda notione est ens per accidens , atqui genus concretiuè sumptum constat ex prima & secunda notione scilicet verbi gratia ex animali , & ex generitate , ergo genus concretiuè sumptum est ens per accidens . Respondeo negando minorem primi argumenti , & ad ejus probationem dico , genus esse quidem ens per accidens attributiū , quantum constat ex prima notione , tanquam ex materia : & ex secunda notione , tanquam ex forma : sed non est ens per accidens entitatiū , ( quod est proprie ens per accidens , ) quia non significat æqualiter primam & secundam notionem , sed significat primariò , & per se secundam notionem : primam vero notionem significat secundariò & connotatiū quod autem est ens per accidens attributiū potest definiri .



## QVÆSTIO XI.

*Verum genus possit conseruari in vnica specie.*

**V**T HÆC quæstio breuiter & clare expediatur dicimus 1º. genus posse concipi ut totum esse[n]tiale, verbi gratia animal quod est genus consideratur ut totum esse[n]tiale quando consideratur secundum totam esse[n]tiam suam, scilicet quatenus est *vnuens sentiens*, sub qua notione potest conseruari in vnica specie, nam tota esse[n]tia animalis conseruatur in solo homine: dicimus 2º. genus posse concipi ut totum potentiale sub qua notione potest etiam conseruari in vnica specie, quia etiam si in actu & de facto vni soli speciei, semper habet potentiam saltem non repugnantiæ & Logicam in essendi pluribus speciebus. Definitio autem generis considerati ut est totum potentiale sita est in potentia Logica in essendi pluribus speciebus.

Obijcitur 1º. omne genus habet plures species, atqui genus existens in vnica specie non habet plures species, ergo genus existens in vnica specie non est genus. Respondeo distin-

guendo majorem, omne genus habet plures species, distinguo; habet actu vel potentia concedo: habet actu semper nego: genus autem existens in vnica specie habet saltem potentia plures species.

Instabis, atqui genus existens in vnica specie non habet potentiam plures species, ergo nulla solutio: probatur antecedens, quod habet potentiam plures species potest diuidi per plures differentias specificas, atqui genus existens in vnica specie non potest diuidi per plures differentias specificas, ergo genus existens in vnica specie non habet potentiam plures species: probatur minor, quod habet vnicam differentiam specificam non potest diuidi per plures differentias specificas, atqui genus existens in vnica specie, habet vnicam differentiam specificam, ergo genus existens in vnica specie non potest diuidi per plures differentias specificas. Resp. dist. majorem vlt. arg. quod habet vnicam differentiam specificam, non potest diuidi per plures differentias specificas dist. non potest diuidi potentia Physica & naturali concedo; potentia Logica & notionali siue non repugnantiæ, nego: genus igitur habens vnicam differentiam specificam habet potentiam non repugnantiæ ut diuidatur per plures.

Obijcitur 2°. & vltimò si genus conseruatetur in vnica specie , sequeretur sublata vnica specie tolli necessarò genus , atqui hoc est absurdum , nam axioma philosophorum est , *sublata vnica specie , non tollitur genus ergo*: absurdum est illud vndè sequitur. Respondeo concedendo consequentiam majoris , ad incommodum verò dico axioma philosophorum esse intelligendum de genere quod habet actu & de facto plures species ; nunc verò agimus de genere quod supponimus habere vnam speciem tantùm.

## QVÆSTIO XII.

*Vtrum definitio speciei tradita à Porphyrio sit legitima.*

**S**PECIES definitur à Porphyrio, prædicabile de multis numero differentibus in quæstione quid. Quæritur autem vtrum hæc definitio sit perfecta , cui quæstioni respondemus negatiuè , & sententiam nostram probamus hoc arguento.

Definitio quæ traditur per proprietatem generis, & non per ipsum genus est imperfecta,

atqui hæc definitio speciei traditur per proprietatem generis, scilicet per nō prædicabile quod est proprietas vniuersalis. ( Vniuersalis verò est genus speciei ) ergo hæc definitio speciei est imperfecta : nihilominus censemus hanc definitionem speciei legitimam esse in quantum reciprocatur cum specie, & distinguit speciem ab omnibus alijs prædicabilibus.

Obijcitur 1º. superior definitio speciei conuenit indiuiduo scilicet Deo opt. max. ergo non est legitima : probatur antecedens, Deus prædicatur de pluribus solo numero differentibus in quæstione quid scilicet de Patre, de Filio, & Spiritu Sancto : ergo definitio speciei conuenit Deo. Respondeo negando consequentiam, quia Deus prædicatur quidem de tribus illis personis, sed non prædicatur diuisim de illis, id est non diuiditur neque multiplicatur in illis : est autem de essentia & definitione speciei prædicari de suis inferioribus diuisim, & cùm sui multiplicatione vel saltem cum sui multiplicabilitate.

Instabis, atqui hæc definitio speciei conuenit personæ Diuinæ, ergo nulla solutio : probatur antecedens, persona diuina prædicatur de pluribus solo numero differentibus in quid scilicet de Patre, Filio, & Spiritu Sancto : præ-

dicitur etiam diuisim , nam persona diuina diuiditur & multiplicatur in Patre Filio & Spiritu Sancto: quum Pater Filius & Spiritus Sanctus sint tres numero personæ : ergo hæc definitio speciei conuenit personæ diuinæ. Respondeo Patrem , Filium , & Spiritum Sanctum , differre numero in ratione personæ , sunt enim tres numero personæ , sed non differunt numero in ratione individui , quia non sunt tria numero individua , sed sunt vnum & idem numero individuum , quia personalitas multiplicatur sed non essentia diuina.

Obijcitur 2°. definitio speciei conuenit generi , puncto , materiæ : ergo non est legitima: probatur antecedens , 1°. genus verbi gratia animal prædicatur de pluribus numero differentibus , scilicet de Petro , Paulo , &c. Nam quærenti quid est Petrus rectè respondeatur est animal : quid est Paulus est animal , &c. 2°. materia punctum prædicantur de multis solo numero differentibus in quid , scilicet materia de hac & de illa materia punctum de hoc & de illo puncto. Respondeo definitionem speciei benè intellectam non conuenire generi , quia species dicitur prædicabilis de pluribus numero differentibus immediatè , genus vero est prædicabile de pluribus numero differentibus

mediate: species prædicatur in quid completè, quia est tota essentia suorum inferiorum: genus vero prædicatur in quid incompletè, quia non est tota essentia suorum inferiorum, sed pars magis communis essentiæ suorum inferiorum: materia vero & punctum, &c. Possunt dici species per analogiam, ac proinde reuocantur ad speciem, & ita non est mirum si definitio speciei illis conueniat analogicè.



### QVÆSTIO XIII.

#### *De differentia.*

**I**N HAC quæstione duo videbimus, sed paucis: 1º. sub quo respectu differentia sit universalis: 2º. vtrum differentia inferior includat formaliter superiorem: quoad primum sciendum est differentiam specificam (de qua nunc) posse concipi sub quadruplici respectu; 1º. respectu generis quod diuidit, verbi gratia rationale respectu animalis quod diuidit; 2º. respectu speciei quam constituit, verbi gratia idem rationale respectu hominis quem constituit; 3º. potest considerari respectu suorum inferiorum categoricorum, verbi gratia idem rationale

respectu hujus & illius rationalis , vel rationalitatis ; 4° . potest considerari respectu inferiorum speciei cuius est differentia , verbi gratia idem rationale respectu Petri & Pauli , qui sunt inferiora hominis : sub 1° . respectu differentia specifica non est vniuersalis ; 1° . quia vniuersale est vnum in multis , atqui differentia specifica respectu generis quod diuidit , non est vnum in multis , sed est vnum sub uno , v. g. rationale respectu animalis est vnum , scilicet vna differentia sub uno genere : ergo differentia specifica respectu generis quod diuidit , non est vniuersalis ; 2° . vniuersale respicit inferiora , atqui differentia ut respiciens genus quod diuidit , non respicit inferiora , sed respicit superius : ergo differentia ut respiciens genus non est vniuersalis ; non est etiam vniuersalis respectu speciei quam constituit , quia vniuersale ut suprà est vnum in multis , & in inferioribus , atqui differentia respectu speciei nec est vnum in multis nec in inferiorib⁹ , sed est vnum in uno : & æquale in æquali ( v. g. rationale respectu hominis ) ergo differentia non est vniuersalis respectu speciei : sub 3° . respectu non est etiam tertium prædicabile , sed est secundum prædicabile siue species , ut probatur hoc argumento : quicquid est prædicabile de pluribus solo numero diffe-

tentibus est species , atqui differentia specifica, respectu suorum inferiorum categoricorum est prædicabilis de pluribus solo numero differentibus in quid , verbi gratia rationalitas respectu hujus & illius rationalitatis est prædicabilis de pluribus solo numero differentibus in quid; quærenti quid est hæc vel illa rationalitas , re-  
tè respondetur , est rationalitas , ergo differen-  
tia specifica respectu suorum inferiorum cate-  
goricorum est species : sub 4°. igitur respectu  
differentia est vniuersalis , verbi gratia ratio-  
nale respectu Petri , Pauli , &c. Est vniuersalis,  
scilicet tertium prædicabile , quia eorum res-  
pectu est vnum in multis , & superius respiciens  
inferiora.


*Quoad secundum: dicimus differentiam ge-  
nericam non includi formaliter in differentia  
specifica , verbi gratia  $\pi$  sentiens non includi-  
tur formaliter in  $\pi$  rationali , quia si differentia  
generica includeretur formaliter in differentia  
specifica , verbi gratia sentiens in rationali , ge-  
nus , verbi gratia animal includeretur forma-  
liter in sua differentia diuisiua scilicet in ratio-  
nali , atqui falsum posterius , ergo & prius: mi-  
nor patet ex eo quod omne verum genus præ-  
cindit à suis differentijs diuisiuis.*

*Obijcitur 1°. rationale est formaliter sen-*

tiens , ergo rationali includit formaliter sentiens : probatur antecedens , omnis homo est formaliter sentiens : atqui omnis homo est formaliter rationalis : ergo aliquod rationale est formaliter sentiens . Respondeo vocem formaliter sumi uno sensu in majori & alio sensu in minori , nam in majori significat essentialiter generice : in minori vero significat essentialiter specificè , ita ut sensus majoris sit omnem hominem esse sentiens secundum suum gradum essentiale genericum , sensus vero minoris est hominem esse rationalem secundum suum gradum essentiale proprium & specificum , ac proinde sunt quatuor termini in hoc syllogismo .

Obijcitur 2º. differentia generica prædicatur formaliter de differentia specifica : ergo differentia generica includitur formaliter in differentia specifica : probatur antecedens , sentiens prædicatur formaliter de rigibili : ergo differentia generica prædicatur formaliter de differentia specifica : probatur iterum antecedens , principium sentiendi prædicatur formaliter de principio rugiendi : ergo sentiens prædicatur formaliter de rugilibi : antecedens patet ex eo quod rugire est formaliter sentire , ac proinde principium rugiendi est formaliter

principium sentiendi. Respondeo cum hac distinctione rugire est formaliter sentire : distingo : formaliter genericè concedo : formaliter specificè nego : vnde ad argumentum principium sentiendi prædicatur formaliter de principio rugiendi distinguo : formaliter genericè concedo : formaliter specificè nego.



## QVÆSTIO XIV.

### *De distinctione graduum Metaphysicorum.*

**V**T HÆC quæstio breuiter & clarè expediatur quædam prænotanda sunt.

Notamus igitur 1º. hīc non agi de gradibus Physicis quales sunt materia & forma in corpore naturali: sed de gradibus Metaphysicis quales sunt animal & rationale in homine.

Notamus 2º. attributa essentialia dici gradus, quia sicut in vna & eadem sola alij gradus sunt superiores, alij inferiores, ita in vna & eadem re dantur attributa superiora, & alia inferiora: verbi gratia in Petro gradus superiores sunt humanitas, animalitas, &c. Petreitas verò est gradus infimus : dicuntur verò Metaphysici,

quia à Metaphysica præcipue considerantur.

Notamus 3°. controuersiam non esse de omnibus gradibus Metaphysicis, verbi gratia non disputatur de esse & essentia qui sunt gradus Metaphysici ex quibus constat ens: sed lis est de quibusdam gradibus Metaphysicis, scilicet de genere & differentia ex quibus componitur species.

Notamus 4°. quæstionem non esse de his gradibus Metaphysicis sumptis in concreto, sed disputamus de illis sumptis in abstracto, scilicet de animalitate & rationalitate.

Notamus 5°. hīc non disputari de genere & differentia consideratis in diuersis individuis, nam certum est animalitatē existentem in hoc leone, & rationalitatem existentem in Petro distingui realiter; sed controuertitur de genere & differentia consideratis in uno & eodem individuo, scilicet utrum animalitas & rationalitas in eodem Petro distinguantur realiter inter se, vel ab ipso Petro.

Notamus 6°. & ultimè distinctionem realem maximè propriam ( de qua nunc ) esse diuersitatem entis ab ente, vel diuersitatem secundum existentiam: ex his prænotatis colligimus hunc esse quæstionis statum utrum verbi gratia animalitas, & rationalitas in uno &

codem Petro distinguantur realiter inter se vel ab ipso Petro? Cui quæstioni respondemus negatiuè & sententiam nostram probamus hoc argumento.

Quæ distinguntur realiter habent diuersas existentias, atqui animalitas, & rationalitas in Petro non habent diuersas existentias, ergo animalitas & rationalitas in Petro non distinguuntur realiter: minor probatur, quæ existunt per eandem existentiam non habent diuersas existentias, atqui animalitas, & rationalitas in Petro existunt per eandem existentiam, ergo animalitas & rationalitas in Petro non habent diuersas existentias: minor patet, nam animalitas & rationalitas existunt per existentiam ipsius Petri: animalitas & rationalitas non distinguuntur etiam realiter ab ipso Petro, quia sunt essentia ipsius Petri.

Obijcitur sententia ex qua sequitur contradic̄tio non est admittenda, atqui ex nostra sententia sequitur contradictio, ergo nostra sententia non est admittenda: probatur minor, ex nostra sententia sequitur idem esse principium sentiendi, & non esse principium sentiendi, ergo sequitur contradictio, antecedens probatur hoc argumento, animalitas est principium sentiendi, rationalitas non est principium sen-

tiendi, atque animalitas & rationalitas ( scilicet in Petro ) sunt idem, ( ex nobis ) ergo idem est principium sentiendi, & non est principium sentiendi, Respondeo concedendo totum argumentum, neque tamèn concedimus dari contradictionem, quia licet idem sit principium sentiendi & non sit principiū sentiendi, non habet tamèn ejusmodi prædicata secundū idem siue secundum eandem formalitatem, nam prout respicit operationes sentiendi, dicitur principium sentiendi : prout verò respicit operationes ratiocinandi non est principium sentiendi sed ratiocinandi.

### QVÆSTIO XV.

*De proprio quid sit, & quo respectu sit  
vniuersale.*

**H**ACTENVS de vniuersalibus essentialibus, nunc de accidentalibus nobis incumbit agendum, & primò de proprio ; quia conuenit accidentariò quidem subiecto, sed necessariò tamèn illi conuenit: proprium autèm 4°. modo est vniuersale multis specie vel numero differentibus in quale necessariò : in qua definitione

vniuersale est genus: reliqua vero verba continent differentiam.

Proprium potest considerari sub triplici respectu; 1°. respectu speciei cuius est proprium, verbi gratia risibilitas respectu hominis; 2°. respectu suorum inferiorum categoricorum, verbi gratia eadem risibilitas respectu hujus & illius risibilitatis; 3°. potest concipi respectu inferiorum speciei, verbi gratia eadem risibilitas respectu Petri, Pauli, &c. Sub 1°. respectu non est vniuersale; quia non conuenit multis sed vni soli, non conuenit inferioribus, sed rei sibi æquali: sub 2°. respectu est species, quia est prædicabile de pluribus solo numero differentibus in quid, verbi gratia risibilitas est prædicabilis de hac & illa risibilitate in quid siue essentialiter: si verò proprium sit genericum, ut verbi gratia sensibile tunc est prædicabile de pluribus specie differentibus in quid, ac proinde est genus; sub 3°. igitur respectu proprium constituit quartum prædicabile, quia sub illo respectu prædicatur de multis sibi inferioribus in quale necessariò, verbi gratia risibilitas respectu Petri, Pauli, &c. quartum est prædicabile.

## QVÆSTIO XVI.

*Vtrum proprium possit separari realiter à suo subiecto.*

QUESTIONEM aggredimur nobilissimam & quæ hodierna die maximè agitantur inter nos & Pontificios, ut autem clarius intelligatur.

Notamus 1º. questionem praesentem institui de proprio quarto modo, quod definitum fuit suprà.

Notamus 2º. aduersarios distinguere proprietates Logicas sine Metaphysicas, à Physicas: volunt autem proprietates Logicas (quæ est verbi gratia corruptibilitas respectu mixti,) non distingui realiter à suis subiectis, ac proinde istas non posse separari realiter ab illis; sed contendunt proprietates Physicas, quales sunt calor respectu ignis, frigus respectu aquæ &c. Distingui realiter à suis subiectis, ac proinde istas proprietates Physicas posse separari realiter ab illis: nos vero vehementer negamus ullam dari proprietatem quarto modo, quæ possit realiter separari à suo subiecto.

Notamus 3°. h̄ic non controuerti de separatione mentali proprij à subjecto , vtrum scilicet possit separari mentaliter à suo subjecto, sed disputatur de separatione reali , ita vt quæratur vtrum proprietas quarto modo possit separari realiter à suo subjecto remanente saluo.

Notamus 4°. & vltimò hanc quæstionem non debere intelligi de viribus naturæ , sed de viribus omnipotentis Dei , ita vt controuertatur vtrum proprietates possint separari realiter à subjecto per infinitam Dei potentiam : his prænotatis respondemus quæstioni negatiuè, negamus scilicet proprietatem quarto modo posse realiter separari à suo subjecto ( remanente saluo ) etiam per infinitam Dei potentiam & hoc negamus sequentibus freti rationibus.

1°. Quod inuoluit contradictionem non est Deo possibile ( vt omnes fatentur , ) atqui separatio realis proprietatis à subjecto inuoluit contradictionem , ergo separatio realis proprietatis à subjecto non est Deo possibilis: probatur minor , quod destruit essentiam subjecti, inuoluit contradictionem ; atqui separatio realis proprij à subjecto destruit essentiam subjecti; ergo separatio realis proprij à subjecto inuoluit contradictionem : probatur minor , facultas

intelligendi est proprium ( scilicet hominis homo est ejus subjectum , ) atqui separatio realis facultatis intelligendi ab homine destruit essentiam hominis , ergo separatio realis proprij , à subjecto destruit essentiam subjecti : probatur minor , quod facit hominem non intelligentem destruit essentiam hominis , atqui separatio realis facultatis intelligendi ab homine facit hominem non intelligentem , ergo separatio realis facultatis intelligendi ab homine destruit essentiam hominis : probatur major , quod facit hominem non rationalem destruit essentiam hominis , atqui quod facit hominem non intelligentem facit hominem non rationalem , ergo quod facit hominem non intelligentem destruit essentiam hominis : minor vero aperta est nam ubi semel facultas intelligendi est realiter separata ab homine homo fit non intelligens ; quomodo enim foret intelligens per facultatem intelligendi , quæ separata est realiter ab illo ?

Respondet quidam hominem remanere intelligentem , quia posset intelligere , si ei redideretur facultas intelligendi , eximium sane acumen ? Et author hujus responsionis debet vocari intelligens eodem sensu , quia posset intelligere , si ei daretur facultas intelligendi .

Respondent alij hominem in hoc casu posse

intelligere remotè non proxime : sed contra sic arguo , qui potest intelligere remotè , habet potentia remota intelligendi , atqui in prædicto casu homo non habet potentiam remotam intelligendi , ergo in prædicto casu homo non potest intelligere remotè : minor patet , nam supponitur omnem potentiam intelligendi fuisse realiter separatam ab homine.

Respondet Deraconis tract. 1°. de vniuersalibus , quæstione ultima in hoc casu hominem non fore quidem intellectiuū per intellectum , sed tamē semper fore intellectiuū substantialiter , quia habebit substantiam aptam ad producendum intellectum.

Sed contra sic arguo , vel homo erit intellectiuus per intellectum , vel per non intellectum , siue per negationem intellectus , quandoquidem inter intellectum & non intellectum non datur medium , atqui non potest dici intellectiuus per non intellectum , siue per negationem intellectus , ergo debet dici intellectiuus per intellectum ; 2°. in hoc casu homo vel est propriè intellectiuus , vel non est propriè intellectiuus : si non est propriè intellectiuus non est propriè rationalis , quia intellectus & ratio , intellectuum & rationale dum agitur de homine idem sunt : si verò non est propriè ratio-

nalis, non est propriè homo, ac proinde erit aliquid aliud ab homine diuersum: si verò respondeatur hominem in hoc casu fore propriè intellectuum, sic arguo contrà, quicquid est propriè intellectuum habet propriè intellectum, atqui homo in hoc casu non habet propriè intellectum, ergo homo in hoc casu non est propriè intellectius: probatur minor, quicquid habet causam intellectus tantùm, non habet propriè ipsum intellectum, atqui homo in hoc casu habet causam intellectus tantùm, (quia ex aduersarijs habet substantiam animæ tantùm, siue destitutam suis facultatibus, substantia autem animæ est causa à qua sicut intellectus,) ergo homo non habet propriè intellectum; 3°. quicquid est substantialiter intellectuum habet intellectum substantiale, atqui homo in hoc casu non habet intellectum substantiale, ergo homo in hoc casu non est substantialiter intellectius: probatur minor, non datur intellectus substantialis, neque potest dari: ergo homo in hoc casu non habet intellectum substantiale: probatur antecedens, quod inuoluit contradictionem non potest dari, atqui intellectus substantialis inuoluit contradictionem, ergo non potest dari: probatur minor, quod dicit verum accidens esse substan-

tiam inuoluit contradictionem , atqui intellectus substantialis dicit verum accidentis esse substantiam , dicit enim intellectum ( qui est vera potentia naturalis , vera qualitas , & verum accidentis ) esse substantiam , ergo intellectus substantialis inuoluit contradictionem ; 4° . & vltimò hæc responsio docet duplēm esse intellectum , vnum substantialem , alterum accidentalem ; si verò detur duplex ille intellectus , cur non datur duplex qualitas , vna substantialis , altera accidentalis ? Duplex quantitas , vna substantialis , altera accidentalis ? Et sic qualitas & quantitas erunt substantiæ & accidentia confundentur cum substantijs .

2° . Quod inuoluit contradictionem non est Deo possibile , atqui separatio realis proprietatis à subjecto inuoluit contradictionem , ergo separatio realis proprietatis à subjecto non est Deo possibilis : probatur minor , quod destruit essentiam proprij inuoluit contradictionem , atqui separatio realis proprij à subjecto destruit essentiam proprij , ergo separatio realis proprietatis à subjecto inuoluit contradictionem : probatur adhuc minor , quod destruit partes essentiales proprij , destruit essentiam proprij , atqui separatio realis proprij à subjecto destruit partes essentiales proprij , ergo

separatio realis proprij à subiecto destruit es-  
sentiam proprij: probatur tandem minor, con-  
uenire semper subiecto, & reciprocari cum illo,  
sunt partes essentiales proprij, atqui separatio  
realis proprij à subiecto destruit illas partes,  
ergo separatio realis proprij à subiecto destruit  
partes essentiales proprij: minor patet, nam  
posito quod proprium sit separatum realiter à  
subiecto, proprium non conuenit eo tempore  
subiecto, neque reciprocatur cum illo, ac  
proinde semper non conueniet subiecto: sem-  
per non reciprocabitur cum illo: & tandem  
sequitur has propositiones contradictorias esse  
simul veras: proprium semper conuenit sub-  
iecto: proprium semper non conuenit subiecto:  
duas autem propositiones contradictorias esse  
simul veras, est impossibile.

3°. Affirmatio proprij de suo subiecto est  
semper vera, ergo proprium semper conuenit  
subiecto: probatur antecedens affirmatio pro-  
prij de suo subiecto ex aduersarijs, est propo-  
sitio æternæ veritatis, est igitur semper vera.

Respondent affirmationem proprij de suo  
subiecto esse semper veram secundum ordinem  
naturalem jam constitutum à Deo, non vero  
secundum ordinem supernaturalem quo sit ut  
proprietas separetur aliquando à suo subiecto.

Insto 1°. aduersarios petere principium, quia supponunt tanquam concessum id ipsum quod est controuersum, supponunt enim proprietatem separari realiter à subjecto viribus supernaturalibus Dei, quod negamus, non ob impotentiam quæ sit in Deo, sed ob repugnantiam quæ est in ipsa re, quæ simul esse & non esse non potest; 2°. quæ propositio est vera veritate intrinsecâ & essentiali, non potest illa potentia, vel humanâ, vel diuinâ, fieri non vera, verbi gratia hæc propositio homo est animal, non potest illa potentia fieri non vera, quia scilicet vera est veritate intrinseca & essentiali, scilicet veritate quæ fundatur in connexione essentiali terminorum: atqui affirmatio proprij de suo subjecto, est propositio vera veritate intrinseca & essentiali, ergo affirmatio proprij de subjecto non potest fieri non vera: probatur minor, illa affirmatio est vera veritate intrinseca & essentiali, cuius veritas fundatur in connexione essentiali terminorum, atqui veritas affirmationis proprij de subjecto, fundatur in connexione essentiali terminorum, ergo affirmatio proprij de subjecto, est vera veritate intrinseca, & essentiali: minor patet, datur enim connexio essentialis inter subjectum & ejus proprietatem, cum subjectum sit

de essentia proprietatis, adeo ut proprietas non possit definiri nisi definiatur per subiectum: proprium etiam, si non sit de essentia subiecti, saltem necessariò sequitur & comitatur ejus essentiam.

4°. & vltimò eandem veritatem confirmamus authoritate Theodoreti, cap. 3°. Dialog. 3°. vbi ita loquitur : propriatum negatio est naturæ deletio: vndè sic arguo , si proprietates non possint negari de subiecto , sine ejus destruccióne , longè minus possunt separari realiter ab illo , sine ejus destruccióne , atqui verum prius ex Theodoreto , ergo & posterius: Theodoretu excipiat Aristoteles , l. 1. Phys. c. 4°. vbi disertè pronuntiat hæc verba τὰ μάθητα πίστει , id est proprietates sunt inseparabiles: Aristotelem excipiat Soares Iesuitarum Philosophus , disputatione 34. Metaphysicæ , sectione sexta , paragrapho 27. quis , inquit , intelligat magnitudinem in rerum natura existentem , figura terminabilem , & nulla tamen terminatam figura : vndè patet figuram quæ est proprietas quantitatis non posse separari realiter à quantitate.

Obijcitur 1°. posterius potest separari à suo priori , atqui proprium est posterius suo subiecto , ergo proprium potest separari à suo sub-

jecto : major patet , nam albedo quæ est posterior pariete , potest separari realiter à pariete. Respondeo distinguendo majorem , posterius potest separari à suo priori , distinguo : posterius tempore concedo : posterius natura tantum nego: quod pluribus demonstramus instantijs , nam lux solis est posterior naturâ sole, non tamen potest separari realiter à sole : præsentia rei est posterior ipsa re , vtpotè modus externus rei : præsentia tamen non potest separari à re remanente salua , nam impossibile est rem existere , & non esse alicubi præsentem: vnitatis , bonitas & veritas , sunt posteriores naturâ ente , quis tamen dixerit, vnitatem, bonitatem & veritatem, posse separari realiter ab ente ? Proprium autem est posterius naturâ suo subjecto , sed non est posterius tempore.

Obijcitur 2º. subjectum non dependet à sua proprietate , ergo potest existere & conseruari sine sua proprietate , ac proinde proprietas potest separari realiter à subjecto remanente saluo ; antecedens probatur , prius non dependet à suo posteriori , subjectum autem est prius proprio , ergo non dependet à proprio. Respondeo distinguendo majorem , prius non dependet à suo posteriori , distinguo : non dependet dependentia reali & Physica , concedo : de-

pendentia rationis & Logica, nego : dependentia Physica est ea qua effectus dependet à sua causa , qualis est dependentia diei à sole: dependentia rationis & Logica est consequentia necessaria secundum quam duo se mutuo consequuntur ob connexionem essentialis, quæ datur inter illa , & ita à se inuicem dependent quatenus vnum non potest existere sine alio , & vice versa : & hac dependentia rationis & Logica ens dependet ab unitate, veritate, bonitate , quatenus non potest esse ens , quin sit vnum , verum , bonum : & hac etiam dependentia subiectum dependet à proprio.

Obijcitur 3°. quicquid homo potest separare per mentem , illud Deus potest separare realiter : atqui homo potest separare per mentem subiectum à sua proprietate , ergo Deus potest separare realiter subiectum à sua proprietate: minor patet , nam homo potest concipere totam essentiam subiecti , non considerata ejus proprietate, cum proprietas non sit de essentia subiecti , verbi gratia possumus concipere essentiam hominis non considerata ejus risibilitate. Respondeo 1°. negando majorem , & in contrarium , hanc affero instantiam: possumus separare per mentem misericordiam Dei ab ejus justitia , concipiendo misericordiam Dei

non concepta ejus justitia ; Deus tamèn ( potenter ) non potest separare misericordiam à propria sua justitia. Respondeo 2°. distinguendo majorem quod homo potest separare per mentem , illud Deus potest separare realiter , distinguo : quod homo potest separare per mentem , separatione mentali complexa quæ est negatio vnius de alio , concedo : quod potest separare separatione mentali simplici tantum , nego : separatio autem mentalis simplex est consideratio vnius non considerato alio illi coniuncto ; homo autem potest separare subjectum à proprietate separatione mentali simplici tantum : quod si separaret subjectum à proprio separatione complexa , hæc separatio complexa inuoluit contradictionem.

Obijcitur 4°. quæ aliàs separata fuerunt realiter à subjectis nunc separari possunt, atqui aliàs proprietates separatæ fuerunt realiter à subjectis , ergo nunc separari possunt à subjectis: probatur minor, calor, grauitas, visibilitas, sunt proprietates , atqui calor , grauitas , visibilitas fuerunt separata realiter à subjectis , ergo proprietates fuerunt separatæ realiter à subjectis: probatur minor per partes ; 1°. calor fuit separatus ab igne fornacis Babylonicæ cum ignis nullo modo læserit tres Hebræos in fornacem

tonjectos; 2°. grauitas fuit separata à corpore Christi ambulantis super aquas maris; 3°. visibilitas fuit separata à corpore Christi, quando ab adstantibus non fuit cognitus. Respondeo negando minorem ultimi argumenti, & ad primum exemplum dico calefactionem fuisse separatam ab igne, sed negamus calorem siue potentiam calefaciendi fuisse separatam ab igne, non fuit quidem calefaciens, sed semper fuit calefactius siue calidus; non calefacit autem quia Deus subtraxit concursum suum ut non calefaceret: eum vero fuisse semper calidum patet ex eo quod Chaldeos in fornacem conjectos statim consumperit; calor igitur in actu secundo siue actus calefaciendi fuit separatus ab igne, sed non calor in actu primo siue potentia calefaciendi, quae est ejus proprietas: ad secundum vero exemplum respondeo similiter grauitationem siue actum grauitandi fuisse separatum à corpore Christi dum ambulabat super aquas maris, quia virtute diuina sustentabatur ne delaberetur sub aquas, sed grauitas siue potentia grauitandi quae est proprietas corp. non fuit realiter separata à corp. Christi; hoc simili rem illustro sustentetur lapis in aere à manu Petri, haec sustentatio facit quidem ut lapis non grauitet siue impedit ejus grauitatio-

nem non tamèn facit vt lapis non habeat suam grauitatem ; imò ipse Petrus sentit grauitationem lapidis: ad tertium & vltimum dico Christum non fuisse visum ab adstantibus , quia Deus posuit impedimentum ex parte adstantium , sed corpus tamèn Christi semper fuit ex se visibile.

Obijcitur 5°. & vltimò quicquid fit naturæ viribus potest fieri per omnipotentiam Dei, at qui proprietates separantur realiter à subjectis naturæ viribus , ergo proprietates possunt separari realiter à subjectis per omnipotentiam Dei : minor patet , ex sequentibus ; 1°. frigus quod est proprietas aquæ separatur realiter ab aqua feruenti : potentia videndi , quæ est proprietas animalis separatur realiter ab animali, vt liquet exemplo cæcorum. Respondeo negando minorem & ad ejus probationem dico frigus non separari realiter ab aqua , sed frigefactionem , aqua feruens non frigefacit quidem , sed semper ex se est frigida , siue habet potentiam frigefaciendi , quam potentiam non exercet , per accidens quatenus impeditur à partibus igneis, quæ sese insinuarunt intra partes aquæ: vndè calefacit , non per se , sed per aliud scilicet per partes illas igneas quas habet intra se, quæ partes igneæ vbi semel auolarunt

ab aqua , aqua frigefacit ut antea : porrò dico potentiam videnti esse duplē vnam primariam siue principalem quæ est potentia ipsius animæ , alteram secundariam & instrumentalem quæ est potentia ipsorum organorum : præmissa hac distinctione dicimus potentiam secundariam siue potentiam organorum separari realiter ab animali cæco , quia organa non sunt legitimè disposita ad eliciendam visionem ; sed potentia primaria siue potentia ipsius animæ , (quæ est proprietas animalis ) non separatur realiter ab animali .

## QVÆSTIO XVII.

*De accidente communi , quid sit , & sub quo respectu sit vniuersale .*

**A**CCIDENS commune ultimum est vniuersale , quia non tantum conuenit accidentari subiecto , sed etiam contingenter . in hac autem quæstione duo paucis videbimus ; 1º. quid sit accidens commune ; 2º. sub quo respectu sit vniuersale .

Accidens commune definitur à Porphyrio : id quod adest , & abest à subiecto , sine ejus

interitu: quam definitionem explicuimus in Compendio: superest jam vnicā objectio nobis diluenda.

Obijcitur omnis bona definitio conuenit omni, atqui hæc definitio non conuenit omni, (scilicet accidenti communi) ergo hæc definitio non est bona: probatur minor, mors & combustio sunt accidentia communia, atqui hæc definitio non conuenit morti & combustioni, ergo non conuenit quibusdam accidentibus, ac proinde non conuenit omni accidenti: minor patet, mors enim destruit subiectum, combustio consumit subiectum. Respondent quidam Porphyrium definiuisse accidentia positiva, non vero priuativa, mortem autem & combustionem esse accidentia priuativa: sed hæc respōsio non potest h̄ic habere locum, quia vri non est mera priuatio, sed est quædam passio realis & Physica, ac proinde est accidens positivum. Respondent alii Porphyrium definiuisse accidentia quæ subiecto cōueniunt, non vero ea quæ subiecto repugnant, qualia sunt mors & combustio: hæc etiam responsio non est admittenda, quia Porphyrius definihit id omne quod prædicatur contingenter de subiecto. Respondet Ruiio cap. 6. de accidente communi quæstione 4. mortem posse concipi  
duplicē

dupliciter, vel in fieri, vel in facto esse: mors  
in fieri nihil est aliud quam morbus qui via  
est ad mortem: mors in facto esse, est priuatio  
vitæ in subiecto apto: jam quocumque modo  
mors accipiatur adest sine interitu subiecti nam  
sumpta in fieri prout est morbus, quamdiu adest,  
subiectum etiam scilicet animal ægrotans  
adest: sumpta etiam in facto esse prout est pri-  
uatio vitæ, &c. Adest etiam sine interitu sub-  
iecti scilicet sine interitu materiæ, quæ est sub-  
iectum mortis consideratæ in facto esse; sed  
hæc responsio plus habet subtilitatis quam so-  
liditatis, quia quod modo est in fieri, modo in  
facto esse sit successiue, atqui mors non sit suc-  
cessiue sed in instanti, cum sit essentialiter me-  
ra priuatio, ergo mors non est modo in fieri,  
modo in facto esse. Respondemus igitur mor-  
tem & combustionem inferre subiecto interi-  
tum Physicum, siue destructionem existentiæ,  
sed non interitum Metaphysic. siue destruc-  
tionem essentiæ, quæ destruictio essentiæ mera est  
contradiccio: mors igitur & combustio non  
adsunt sine interitu Physico subiecti, adsunt  
tamen sine interitu Metaphysico subiecti. Sen-  
sus autem definitionis est accidens posse adesse  
sine interitu Metaphysico, siue sine contradic-  
tione.

Accidens commune potest considerari sub dupli respectu: vel respectu suorum inferiorum categoricorum, verbi gratia color respectu albedinis, & nigredinis: vel respectu substantiarum: sub priori respectu accidens commune est genus vel species: sub posteriori vero respectu est quintum & ultimum praedicabile, quia est praedicabile de substantiis in quale & contingenter.

Obiicitur omne vniuersale est vnum, atqui accidens commune non est vnum, ergo accidens commune non est vniuersale: probatur minor, omne vnum, est vnum genere, vel specie, vel numero, vel analogia: ex Phil. lib. 4. Metaph. cap. 6. cuius verba sunt τὰ μὲν κατ' αἴριθμὸν ἐσίνεται δέ κατ' εἶδος τὰ δέ κατα γόρης ταῦτα κατ' αὐτογονίαν, id est alia numero, alia specie, alia genere, alia analogice, vnum sunt: atqui accidens commune nullo ex illis modis est vnum, ergo non est vnum: minor probatur per partes; 1°. non est vnum genere, quia vnum genere est genus, accidens autem commune non est genus; 2°. non est vnum specie, quia omne vnum specie est species, accidens commune autem non est species; 3°. non est vnum numero, quia omne vnum numero est singulare, accidens autem commune non est singulare,

sed vniuersale ; postremò non est vntum analogicè , quia vnum analogicè sunt signum & significatum. Respondeo accidens commune esse vnum genere vel specie , ad incommodum verò dico omne vnum genere esse genus vel aliquid genericum , omne vnum specie esse speciem , vel aliquid specificum ; negamus verò omne vnum genere esse semper genus , saltem quatenus est vnum genere , omne vnum specie esse semper speciem ; datur igitur accidens genericum , verbi gratia color quia est prædicabilis de substantiis ; datur etiam accidens specificum , verbi gratia albedo , quæ est prædicabilis de pluribus substantiis : nolumus tamèn negare eadem accidentia esse genera vel species , respectu suorum inferiorum categoricorum ut suprà obseruatum fuit : sed respectu substancialium sunt accidentia generica vel specifica , non vero sunt genera aut species.

## QVÆSTIO XVIII.

*Vtrum accidentia possint existere sine subiecto.*

**Q**UÆSTIONEM suscipimus profligan-  
dam omnium quas hactenus profligauit

mus nobilissimam ; sed priusquam ad statum quæstionis accedamus , sententiam nostram proponamus & confirmemus , quædam prænotamus.

Notamus igitur 1º. accidens dictum fuisse quasi adcadens , quia adcadit alteri , scilicet substantiæ : Græcis vocatur *συμβεβηκός* à verbo *συμβαίνειν* , id est congregari , quia accidens congregitur cum substantia , quare ex ipso nomine patet accidens habere connexionem necessariam cum substantia .

Notamus 2º. alia accidentia esse Logica , alia Physica . Accidens Logicum opponitur quidem essentiæ subjecti , sed non substantiæ , aliquando enim est substantia . Ita pallium est accidens Logicum Petri : accidens verò Physicum est illud quod semper opponitur essentiæ subjecti , & etiam substantiæ , ita ut nunquam sit substantia . Hic non agitur de accidentibus Logicis , sed de Physicis , disputamus enim de quantitate , de figura , de colore , sapore &c.

Notamus 3º. accidentia Physica esse duplia ; alia vniuersalia , alia singularia . Vniuersalia sunt quantitas , figura , &c. Considerata in communi : singularia sunt hæc quantitas , hæc figura , hic color , &c. Hic non controvertitur de accidentibus Physicis vniuersalibus ,

sed de singularibus, quæstio enim est vtrum hæc quantitas, hæc figura, hic color panis & vini in Sacramento Eucharistiae possint existere sine subiecto.

Notamus 4º. inhærentiam esse duplēm vnam aptitudinalem, alteram actualēm: aptitudinalis est potentia vel aptitudo inhærendis; actualis est actus inhærendi: inhærentia aptitudinalis est de essentia accidentis possibilis, actualis verò est de essentia accidentis actualis, siue actualiter existentis. Hic autem queritur vtrum accidentia singularia possint existere, & existant sine inhærentia actuali, hoc affirmant Pontificij, nos verò negamus.

Notamus 5º. impossibile esse duplex, vnum est impossibile simpliciter, aliud est impossibile secundum quid. Impossibile simpliciter est illud quod inuoluit contradictionem, & à nulla potentia siue humana, siue diuina est factibile, quale est verbi gratia hominem esse irrationalem. Impossibile secundum quid est illud quod non potest fieri ob impotentiam, quæ est in agente, non verò ob impotentiam quæ sit in ipsa re, & hoc impossibile est Deo possibile. Accidens autem existere sine subiecto est simpliciter impossibile.

Notamus 6º. & vltimò hic non dimicari de

viribus naturæ , sed de viribus omnipotentis Dei , ita ut natius huius quæstionis status sit vtrum accidentia Physica singularia existant vel existere possint sine subiecto per infinitam Dei potentiam. Partem affirmatiuam amplectuntur Pontificii , nos verò negatiuam , negantes accidentia posse existere sine subiecto , &c. Et sententiam nostram probamus his argumentis.

1º. Omne ens actualiter existēs habet existentiam actualem sibi essentialē : atqui accidens (de quo disputatur ) est ens actualiter existens , ergo accidens de quo disputatur habet existentiam actualem sibi essentialē : quo posito , sic subsumo , quicquid habet existentiam actualem sibi essentialē , habet existentiam actualem per se , vel existentiam actualem in alio , atqui accidens de quo disputatur habet existentiam actualem sibi essentialē , ergo accidens de quo disputatur habet existentiam actualem per se , vel existentiam actualem in alio. Non habet autem existentiam actualem per se , quia existentia actualis per se est essentia propria substantiæ actualiter existentis : Accidens autem ( de quo nunc ) non habet essentiam propriam substantiæ actualiter existentis , ergo accidens de quo nunc non habet existentiam

actualem per se habet igitur existentiam actualem in alio, ac proinde semper est in subiecto.

Respondent quidam existentiam actualem per se esse duplarem, vnam quæ datur naturaliter, alteram quæ datur supernaturaliter. Fiantur existentiam actualem per se, qualis datur naturaliter esse essentiam propriam substantiæ singularis, & illam non posse communicari accidenti: Contendunt verò existentiam actualem per se qualis datur supernaturaliter, non esse essentiam propriam substantiæ singularis, & istam communicari accidenti.

Contrà sic arguo essentia propria vnius speciei non potest communicari alteri seciei sibi oppositæ, neque naturaliter, neque supernaturaliter, verbi gratia rationale, quod est essentia propria hominis, non potest communicari bruto, etiam per infinitam Dei potentiam, at qui existentia actualis per se est essentia propria vnius speciei, scilicet substantiæ, ergo existentia actualis per se non potest communicari alteri speciei scilicet accidenti, neque naturaliter, neque supernaturaliter.

Respondent alii accidentia Eucharistica subfistere per se negatiuè, non positiuè, negatiuè scilicet quatenus non sunt in subiecto inhæfionis, non verò positiuè scilicet per modum

realem, & posituum subsistendi per se, ( quo vltimo modo substantiæ subsistunt ) quia fulciuntur Dei virtute.

Contra sic arguo 1°. si accidentia existant negatiuè non existunt vlo modo, quia existere negatiuè, est non existere; 2°. quæ realiter existunt, existunt positiuè, non vero negatiuè, atqui accidentia ( de quibus nunc ) realiter existunt, ergo existunt positiuè; 3°. omne ens vel subsistit per se positiuè, vel inhæret alteri, atqui accidens de quo nunc, est ens, ergo vel subsistit per se, positiuè, vel inhæret alteri, non inhæret autem alteri secundum aduersarios, subsistit igitur per se positiuè; 4°. consequentia eorum qui ita respondent dici potest arena sine calce, nam quænam est ista consequentia accidentia non subsistunt per se positiuè, quia fulciuntur Dei virtute, certè si valeat hæc consequentia, nulla erit substantia quæ subsistat per se positiuè, quia nulla est quæ non fulciatur Dei virtute; 5°. non declinant vim argumenti, quia ens cui conuenit proprietas quarto modo substantiæ, est substantia, atqui accidens ( de quo nunc ) est ens cui conuenit proprietas quarto modo substantiæ, ergo accidens ( de quo nunc ) est substantia, probatur minor, non inhærere subiecto est proprietas quarto

modo substantiæ , atqui non inhærere subjecto conuenit accidenti de quo nunc , quia ex aduersarijs , accidens Eucharisticum non inhæret substantiæ : ergo proprietas quartò modo substantiæ conuenit accidenti de quo nunc , porro huic responsioni repugnat Lombardus , qui magister sententiarum vulgò nominatur , lib. enim 4. distinctione 12. dicit : *accidentia Eucharistica subsistere per se positiuè , ad mysterij ritum , & fidei suffragium.*

2º. Accidens non potest existere sine sua essentia , atqui inhærentia in subjecto est essentia accidentis , ergo accidens non potest existere sine inhærentia in subjecto , ac proinde non potest existere sine subjecto quod est substantia , sermo est de accidente Physico , quod definitur ens inhærens substantiæ . Respondent aduersarij inhærentiam esse duplicem , vnam actualem alteram aptitudinalem , dicunt autem inhærentiam aptitudinalem esse de essentia accidentis , non verò actualem , ac proinde accidens non posse existere sine inhærentia aptitudinali , benè tamèn sine inhærentia actuali.

Contra hanc responsionem dico 1º. hanc distinctionem inhærentiæ in actualē & aptitudinalem inuentam fuisse ab aduersarijs tantùm

in patrocinium suæ opinionis, teste Fonseca libri 7. Metaphysicæ capite 1. quæstione 1. sectione 2, *nemo*, inquit, *Philosophorum inuenit, aut approbavit istam distinctionem inhærentię in actualem & aptitudinalem, nisi postquam fide constituit accidentia Eucharistiae non existere in substantia; tanquam in subiecto post consecrationem:* 2°. accidentia Eucharistica accidunt actu substantiæ (etiam post consecrationem,) ac proinde inhærent actu; ut probatur hoc argumento, quo modo sunt accidentia, eodem modo accidunt, atqui accidentia Eucharistica (etiam post consecrationem) sunt accidentia actu ex concessione aduersariorum, ergo accidunt actu, ac proinde habent semper inhærentiam actualem: sed hanc distinctionem pluribus rationibus impugnatam sub finem hujus quæstionis videbis.

3°. Accidentia quæ agunt sunt in subiecto, atqui accidentia Eucharistica semper agunt, ergo accidentia Eucharistica sunt semper in subiecto: maior nititur hoc axiome, *accidens agit in virtute subiecti.* scilicet vel sustentantis & efficientis simul, vel saltem sustentantis, ita virtus impressa lapidi mouet lapidem sursum in virtute lapidis saltem sustentantis talem virtutem: ininor vero probatur, accidentia quæ nutriunt,

corroborant, & exhilarant, agunt, atqui accidentia Eucharistica (etiam post consecrationem) nutriunt, corroborant, & exhilarant, ergo (etiam post consecrationem) accidentia Eucharistica agunt.

Dices sola accidentia hæc omnia præstare: sed contrà agere est proprium formæ substancialis etiam secundum aduersarios, sicut pati est proprium materiæ: ac proinde agere non potest conuenire accidentibus nisi dependenter à forma substanciali; 2º. quæ agunt eodem modo post consecrationem, quo ante consecrationem sunt eodem modo post consecrationem quo ante consecrationem, quia modus agendi sequitur modum effendi & res agit eo modo quo est, atqui accidentia Eucharistica agunt eodem modo post consecrationem, quo ante consecrationem, ergo accidentia Eucharistica sunt eodem modo post consecrationem, quo ante consecrationem, ac proinde sicut ante consecrationem erant in subjecto, ita post consecrationem sunt in subjecto.

4º. Non datur existentia accidentis sine subjecto, neque potest dari: ergo omne accidens semper est in subjecto: probatur antecedens, si detur existentia accidentis sine subjecto, vel illa existentia est miraculosa, vel non

miraculosa , atqui neutrum dici potest , ergo non datur existentia accidentis sine subjecto: probatur minor per partes ; 1°. non est miraculosa , quia omne miraculosum est sensibile, cum omne miraculum sit signum propriè dictum , & omne signum propriè dictum sit sensibile , atqui hæc existentia accidentis sine subjecto non percipitur sensibus , ergo non est miraculosa : si vero dicatur eam non esse miraculosam sibi non constabunt ; docent enim hic esse magnum miraculum : vnde configiunt ad omnipotentiam Dei.

5°. & vltimò si authoritate Porphyrij & Aristotelis hæc controuersia dirimenda esset non minus sua causa caderent aduersarij , nam Porphyrius in vltima definitione accidentis hæc verba subjungit *α&τι είσιν τοι των υποκειμένων ιφιστάμενον* , id est semper subsistit in subjecto; vbi vox *semper* multum habet ponderis ; Arist. etiam in eandem definitionem docet accidens esse in subjecto , *μή ως οὐρανός οὐ παρχεῖν τοι αἰδημάτοις οὐχ ως τοι τοι οὐτει* , id est non sicut partem existens , & impossibile est illud esse sine eo in quo est : vbi notabis vocem *impossible*.

Obijcitur 1°. ex duobus entibus realiter distinctis Deus potest præbere concursum vni, & eum denegare alteri , atqui substantia &

accidens sunt duo entia realiter distincta, ergo Deus potest præbere concursum vni scilicet accidenti & eum denegare substantiæ, & ita hoc posito accidens existet sine substantia. Respondeo distinguendo majorem ex duobus entibus realiter distinctis Deus potest præbere concursum vni & eum denegare alteri, distinguo: si vnum non dependeat essentialiter ab alio, concedo: si vnum dependeat essentialiter ab alio nego: accidens autem dependet essentialiter à substantia.

Obijcitur 2º. inhærentia non est essentia accidentis, ergo accidens potest esse sine inhærentia: probatur antecedens, quod est de essentia accidentis est in definitione accidentis, at qui inhærentia non est in definitione accidentis, ut patet hac definitione albedinis, ( quæ est accidens ) *color visum disgregans*, in qua definitione non continetur inhærentia, ergo inhærentia non est de essentia accidentis. Respondeo distinguendo majorem, quicquid est de essentia accidentis est in definitione accidentis, distinguo: est in definitione accidentis vel explicitè, vel implicitè, concedo, explicitè semper, nego: si sit essentia proxima debet contineri in definitione explicitè; si vero sit essentia remota continetur implicitè in definitione;

inhærentia autem continetur in definitione albedinis implicitè, quia est essentia remota albedinis; continetur verò implicitè, quia cum albedo sit color est qualitas, & accidens, & cum sit accidens est ens inhærens.

Obijcitur 3°. creatio est accidens, atqui creatio fuit sine subiecto, ergo accidens fuit sine subiecto: probatur minor, creatio non fuit in subiecto, ergo fuit sine subiecto: probatur antecedens, si creatio fuit in subiecto, vel fuit in nihilo tanquam in subiecto, vel in Deo, vel in creatura, atqui nullum dici potest, ergo non fuit in subiecto: probatur minor per partes; 1°. non fuit in nihilo, quia sicut ex nihilo nihil fit, ita in nihilo nihil est: 2°. non fuit in Deo, quia in Deo non sunt accidentia: 3°. non fuit in creatura, quia accidens est posterius suo subiecto; creatio vero est prior ipsa creatura, cum creatura producta fuerit per creationem. Respondeo distinguendo majorem primi argumenti; creatio est accidens, distinguo: est accidens Logicum, concedo: Physicum, nego: hic autem agitur de accidentibus Physicis, tantum ut supra obseruatum fuit. Respondeo 2°. creationem posse concipi vel ut est in Deo, vel ut est in creatura: sumpta sub priori notione est actio Dei creantis, vel ipse Deus creans: sum-

pta sub posteriori notione est dependentia creaturæ à creatore, est modus quo creatura dependet à Deo, ac proinde est accidens Logicum non Physicum.

Obijcitur 4°. accidens potest esse sine subjecto, ergo esse in subjecto non est de essentia accidentis: probatur antecedens, quicquid est contingenter in subjecto potest non esse in subjecto, siue potest esse sine subjecto, atqui accidens est contingenter in subjecto, ergo accidens potest non esse in subjecto, siue potest esse sine subjecto: minor patet, nam suprà diximus accidens commune conuenire contingenter suo subjecto. Respondeo distinguendo maiorem, quod est contingenter in subjecto potest esse sine subjecto, distingo: si nō contingenter se teneat ex parte rei quæ est in subjecto, ita ut sensus sit rem accidentariò & contingenter, non verò essentialiter esse in subjecto, concedo: si nō contingenter se teneat ex parte ipsius subjecti, ita ut sensus sit rem quæ est in subjecto non esse de essentia subjecti, & posse abesse ab illo, nego: accidens autem est contingenter in subjecto posteriori sensu tantum, quia non est de essentia subjecti, & potest abesse ab illo; quare hæ propositiones sunt simul veræ, accidens essentialiter siue ex

essentia sua est in subjecto: accidens est accidentariò in subjecto: accidens necessariò est in subjecto: accidens est contingenter in subjecto, quia in priori propositione non essentialiter appellat super accidens: in posteriori vero non accidentariò appellat super substantiam.

Obijcitur 5°. si esse in subjecto esset de essentia accidentis, omne accidens foret in subjecto, atqui falsum posterius, ergo & prius: probatur minor quædam accidentia non sunt in subjecto, ergo omne accidens non est in subjecto: probatur antecedens, odor pomi, lux primigenia sunt quædam accidentia, atqui odor pomi, & lux primigenia non sunt in subjecto, ergo quædam accidentia non sunt in subjecto: probatur minor per partes; 1°. odor pomi dum transit à pomo ad nares non est in subjecto, quia neque est in pomo à quo transit, neque est in naribus ad quas transit, sed est inter illa duo extrema; 2°. lux primigenia primo die quo fuit creata, non fuit in subjecto, quia ejus subjectum scilicet sol nundum erat. Respondeo negando minorem ultimi argumenti, & ad ejus probationem non dico cum quibusdam, odorem pomi non esse quidem in subjecto in quo erat, sed esse in subjecto in quo est, hæc enim responsio vaga est, nugatoria: non dico

dico etiam cum alijs odorem pomii remanentem in pomo producere alium odorem sibi similem in naribus: dico igitur odorem pomii transire à pomo ad nares vna cum partibus tenuissimis pomii, quibus vtitur tanquam vehiculo, ita ut odor pomii sit sempèr in subjecto, scilicet in illis partibus subtilissimis substancialiæ pomii, quæ auolant à pomo ad nares: vndè quia pomum manibus contrectatum perpetuò amittit partes substanciales tenuiores facile marcescit: dico etiam lucem primigeniam fuisse in partibus tenuioribus cœli tanquam in suo subjecto, & partes illas tenuiores fuisse coactas in vnum globum qui est Sol.

Obijcitur 6°. quicquid Deus potest facere cum causis secundis, illud etiam potest facere sine causis secundis, atqui Deus potest facere cum causis secundis vt accidens existat, ergo potest etiam facere sine causis secundis, vt accidens existat. Respondeo 1°. negando maiorem, nam Deus mediante animali potest producere visionem corpoream, ex se tamèn non potest elicere visionem corpoream, quod non arguit inpotentiam in Deo, sed sumمام Dei perfectionem. Respondeo 2°. distinguendo maiorem, quicquid Deus potest facere cum causis secundis, illud potest facere sine

R

illis, distinguo: quod potest facere cum causis secundis in eo genere in quo Deus potest esse causa, concedo: in eo genere in quo Deus non potest esse causa, nego: Deus autem potest esse causa in genere causæ efficientis, vel finalis, non verò potest esse causa in genere causæ materialis, vel formalis; quare quicquid Deus facit per creaturam tanquam per causam efficientem, illud potest facere sine creatura, non vero potest facere sine creatura, illud quod facit per creaturam, tanquam per causam materialem, facit autem per creaturam tanquam per causam materialem ut accidens existat.

Obijcitur 7°. & vltimò Deus potest facere omnia, atquid accidens esse sine subiecto est aliquid: ergo Deus potest facere ut accidens sit sine subiecto. Respondeo 1°. concedendo maiorem, & negando minorem, nam cum existentia accidentis sine subiecto sit merum impossibile est merum nihil, ac proinde non est aliquid. Respondeo 2°. distinguendo maiorem, Deus potest facere omnia, distinguo: quæ non inuoluunt contradictionem, concedo: quæ inuoluunt contradictionem, nego: implicat autem contradictionem accidens esse sine subiecto. Respondeo 3°. retorquendo argumentum Deus potest facere omnia, atqui substantiam


esse in subiecto inhæsionis est aliquid, ergo potest facere ut substantia sit in subiecto inhæsionis, quam conclusionem non admittunt aduersarij; quia vero aduersarij distinctioni inhærentiæ in actualem, & aptitudinalem mordicus adhærent, & in ea non paruum collocant suæ causæ præsidium, eam refellimus sequentibus rationibus.

1º. Accidentis actualiter existentis essentia est actus, atqui accidentia Eucharistica sunt accidentia actualiter existentia, ergo eorum essentia est actus, quo posito subsumo essentia accidentium in Eucharistia existentium est actus, atqui potentia inhærendi non est actus, ergo potentia inhærendi non est eorum essentia; ratio majoris primi argumenti est quia sicut potentia, vel possibilitas est essentia entis possibilis, ita actus vel actualitas est essentia entis actualis; 2º. existentia accidentis non destruit ejus essentiam, atqui existentia accidentis destruit potentiam inhærendi, ergo potentia inhærendi non est ejus essentia: probatur minor, actus inhærendi destruit potentiam inhærendi, atqui existentia accidentis est actus inhærendi, siue inhærentia actualis, (cum existentia accidentis sit existentia in alio, existentia autem in alio est inhærentia actualis,) ergo existen-

tia accidentis destruit potentiam inhærendi: major probatur ex illo axiomate , posito actu, tollitur potentia: ergo vbi semel ponitur actus inhærendi tollitur potentia : & vt hanc veritatem clarius demonstremus, sic arguitur si posito actu inhærendi accidens retineret potentiam inhærendi , vel eam retineret ad eundem numero actum inhærendi quem posuit: vel ad alium numero diuersum , neutrum dici potest , ergo non retinet potentiam inhærendi : probatur minor per partes ; 1°. non retinet potentiam ad eundem numero actum , quia posito actu tollitur potentia saltem ad eundem numero actum, ( vt est in confessu apud omnes ) non retinet etiam potentiam ad alium numero actum inhærendi , quia si posset habere alium numero actum inhærendi posset habere aliam unitatem numericam , fieret aliud numero accidens: ( quod est impossibile, ) ratio consequentia est, quia unitas numerica accidentis desumitur ab unitate numerica actus inhærendi ; si vero existentia accidentis destruat ejus essentiam , verum erit dicere essentiam accidentis deferere accidens , dum vivit accidens mori ejus definitionem , quod perficit accidens interficere ejus naturam , &c. Quæ omnia rectè dici non possunt ; 3°. & ultimò si potentia inhærendi sit

essentia accidentis singularis ( de quo nunc )  
quæro ; vtrum illa potentia sit Logica , vel  
Physica : si Logica est mentalis & extrinseca  
accidenti , ac proinde non est ejus essentia : si  
sit potentia Physica vel naturalis est species  
qualitatis , est qualitas & accidens , si sit acci-  
dens quæro ; vtrum ejus essentia sit actus inhæ-  
rendi vel potentia inhærendi : si actus inhæren-  
di habeo intentum : si potentia inhærendi de  
illa potentia quæro adhuc ; vtrum illa poten-  
tia sit Logica vel Physica , & ita infinitum re-  
ciprocabitur Serra .




**COMMENTARII**  
**E T**  
**QVÆSTIONES**  
**I N**  
**LIBRVM CATEGORIARVM**  
**ARISTOTELIS.**

---

**PRÆFATIO.**

**P**ostquam introductionem Porphyrij Commentarijs breuissimis illustrauimus, & varijs questionibus resoluimus: nunc (ordinem quem suprà nobis proposuimus secuti,) accedimus ad Logicam Aristotelis considerandam, & 1º. categorias, fauente Deo percurremus: Aristotelem autem Authorem esse categoriarum satis redolent styli breuitas & subtilitas: liber autem categoriarum, in tres partes secatur quarum 1. continet antepredicamenta: 2. ipsa predicamenta comprehendit: ult. vero postpredicamenta complectitur.

## CAP V T I.

*De antepredicamentis.*


**D**E antepredicamentis in Compendio sat-  
tis fusè actum fuit à nobis , ne igitur  
actum agere videamur , multa silentio præter-  
mittemus , quæ consulere poteris in Compen-  
dio : hīc tamèn nonnulla addemus , quorum  
notitia non erit superflua .

Obseruamus igitur 1°. quædam se habere  
quatuor modis secundum nomēn & definitio-  
nem : vel enim nomine conueniunt , & non  
definitione , & sunt homonyma , siue æquiuo-  
ca : vel definitione conueniunt , & non nomi-  
ne , & sunt Polyonyma , siue multiuoca , qua-  
lia sunt ensis & gladius : vel nomine & defini-  
tione simul conueniunt , & sunt synonyma vel  
vniuoca , qualia sunt homo & brutum respectu  
animalis : vel tandem neque nomine , neque  
definitione conueniunt , & sunt Eteronyma ,  
qualia sunt lapis & homo respectu animalis .  
Obseruamus 2°. homonyma posse usurpari  
duobus modis , vel materialiter , pro rebus quæ  
dicuntur homonymæ , vel formaliter secun-  
dum rationem communem homonymiæ . Ho-

monyma sumpta materialiter , verbi gratia canis terrestris , canis marinus , &c. Respectu canis non sunt vniuoca : homonyma vero sumpta formaliter secundum rationem communem homonymiæ sunt vniuoca , quia conueniunt vniuocè in ratione homonymiæ : sub hac igitur posteriori notione sunt vniuoca , vnicæ definitione definiuntur , & prius definiuntur , quam distinguantur , quare hoc axioma homonyma sunt distinguenda prius quam definienda : debet intelligi de homonymis sumptis materialiter , & in particulari : non verò de homonymis consideratis formaliter & in communī . Obseruamus 3°. de homonymis tradi aliquas proprietates : Prima est *homonyma tollunt contradictionem* : ratio est quia homonymia impedit ne eadem vox sumatur eodem modo , siue in eadem significatione , ad constituendam autem veram contradictionem non tantum attributum debet referri ad idem subjectum , sed etiam secundum idem & eodem modo , &c. (vt suprà) : vndè homōymia vocis *canis* impedit contradictionem inter istas propositiones , canis est latrabilis , canis non est latrabilis , quia in priori propositione , nomen canis ponitur pro animali domestico , in posteriori verò pro sydere . Secunda est *homonyma impediunt consequen-*

tiam formalem : ratio est quia quod facit quatuor esse terminos in syllogismo , facit syllogismum vitiosum , vox autem sumpta homonymas , vel æquiuocè facit quatuor esse terminos in syllogismo , quia una vox sumpta æquiuocè & in duplice significatione , æquipollit duabus . Tertia & ultima est *homonyma sunt distinguenda prius quam definienda* : quæ proprietas debet intelligi de homonymis sumptis materialiter & in particulari , ut suprà . Obseruamus 4° . hic non definiri nudas voces , vel nudas res , sed definiuntur res quatenus vocibus afficiuntur . Obseruamus 5° . homonyma à consilio esse duplicita , alia sunt homonyma à consilio propter dependentiam , quæ vocantur *analogæ attributionis* : alia sunt homonyma à consilio , propter similitudinem , & nominantur *analogæ proportionis* : analogæ attributionis sunt ea quorum nomen est commune , ratio verò secundum illud nomen est formaliter in uno analogato , & in alijs analogatis per attributionem ad illud principale analogatum : ita animal sanum , vrina sana , ambulatio sana , sunt analogæ respectu sanitatis , quia habent idem nomen commune scilicet nomen sani , ratio verò secundum illud nomen est formaliter in animali , in alijs verò reperitur per attributionem ad animal , quate-

nus dependent ab animali , vel ad animal referuntur : verbi gratia vrina dicitur sana , quia est effectus , vel signum sanitatis animalis , vnde ista analogia , vocantur analogia ab uno , & ad unum : quia scilicet , analogata minus principalia participant rationem analogam , quatenus dependent à principali analogato , vel ad illud referuntur : analogia proportionis sunt ea quæ conueniunt in aliquo ob aliquam similitudinem quam habent inter se : ita radix montis , & pes hominis sunt analogia proportionis in ratione pedis , quia ob similitudinem quam habent inter se , eodem nomine donantur , scilicet nomine pedis : radix enim montis dicitur pes montis , quia sicut pes est infima pars hominis fulciens hominem : ita radix montis , est infima pars montis , fulciens montem : cætera vero anteprædicamenta explicata videbis in Compendio .



## CAPVT II.

*De prædicamentis in genere.*

**V**Ox prædicamenti à prædicatione deducitur , quia prædicamentum est locus in

quo superiora prædicantur de inferioribus: Græcis dicitur κατηγορεῖν διπλῶς κατηγορεῖν quod verbum significat accusare , quare à foro in Scholam Philosophorum transmissum fuit categoriæ nomen per metaphoram : quia sicut in foro dum affirmamus aliquem esse furem, vel homicidam , eum accusamus criminis: similiter in prædicamento , dum affirmamus Petrum esse hominem , eum accusamus aliquo modo humanitatis , dum affirmamus hominem esse animal , hominem accusamus animalitatis.

Subjectum categoriarum , siue omnia entia categorica , ( scilicet illa quæ sunt in linea recta ) debent habere conditiones sequentes: ut inquam aliquid sit in linea recta categorica; 1°. debet esse ens positium , quare entia rationis , impossibilia , non habent locum in prædicamentis ; 2°. est ens per se , id est , est unius & simplicis essentiæ , vndè sequitur entia per accidens excludi à prædicamentis ; 3°. necesse est vt sit finitum , Deus igitur qui est infinitus non est in prædicamento ; 4°. debet esse completum , aliquid autem est completum duabus modis , vel quia nullo modo componit, neque Physicè neque Metaphysicè , & ita substantia singularis , verbi gratia Petrus est ens

completum: vel dicitur completum, quia saltem se habet tanquam ens completum, & hoc modo genera sunt entia completa; 5°. & vltimò debet esse vniuocum, vel saltem debet participare vniuocè genus supremū illius prædicamenti, in quo habet locum: cuius conditionis defectu æQUIUOCa & analoga arcentur à prædicamentis: nolumus tamèn negare entia rationis, impossibilia, partes siuè Physicas siuè Metaphysicas pertinere ad categorias, vel indirectè, vel reductiue.

Prædicamenta autem sunt numero decem: ut probatur sequentibus argumentis, sunt decem genera suprema, neque plura, neque pauciora: ergo decem sunt prædicamenta, neque plura, neque pauciora: confirmatur antecedens, quot quæstiones possunt formari de substantia singulari, totidem sunt summa genera, atqui decem quæstiones tantum possunt formari de substantia singulari: ergo decem tantum sunt summa genera, ac proinde neque plura, neque pauciora sunt: minor patet, nam de Petro, formari possunt istæ quæstiones tantum: quid sit, & quæritur substantia: quantus sit: qualis sit: quò referatur: quid agat: quid patiatur: vbinam sit: quandonam sit: quem situm habeat: in quo sit habitu: si vero aliæ quæstiones

fant, ad istas facile reuocantur, sunt igitur hæc decem prædicamenta , scilicet , substantia, quantitas , qualitas , relatio , actio , passio , ubi , quando , situs , & habitus .

**CAP VT III.****De substantia.**

**V**bi egimus de prædicamentis in genere , nunc de prædicamentis in particulari nobis incumbit agendum , quia verò substantia est prior accidente , definitione , dignitate , & natura : à substantia incipimus : hic autèm nomen substantiæ , solet usurpari duobus modis , vel latè prout opponitur accidenti , & significat ens quod non est in subiecto inhæsionis , quo sensu Deus est substantia : vel strictè & categoricè , & significat ens per se subsistens componens , vel compositum : quo sensu Deus non est substantia cum Deus neque componat , neque componatur : substantiam prædicamentalem non definiuit Aristoteles , nos verò eam ita describimus ens per se , completum , finitum , subsistens per se : substantia prædicamentalis dicitur 1º. ens per se , non quatenus ens per se

significat , illud quod non dependet ab alio  
tanquam à causa efficiente , vel conseruante,  
hoc enim modo solus Deus est ens per se : non  
dicitur etiam ens per se , quatenus ens per se,  
designat ens necessarium: nunc etiam non dici-  
tur ens per se , quatenus ens per se denotat ens  
quod non est in subiecto inhæsionis : sed dici-  
tur ens per se , quatenus ens per se opponitur  
enti per accidens , & significat ens quod habet  
vnam & simplicem essentiam ; 2º. substantia  
dicitur *ens completum* , vt excludantur partes  
tum Physicæ , tum Metaphysicæ , nam diffe-  
rentiæ specificæ quæ sunt in linea collaterali  
prædicamenti substantiæ , non participant es-  
sentiæ substantiæ prædicamentalis , siue sub-  
stantiæ quæ est genus supremum cum non sint  
entia completa ; 3º. additur *finitum* , vt intel-  
ligamus Deum non esse substantiam prædica-  
mentalem: postremò , subjungitur *subsistens per*  
*se* , vt reijciantur accidentia à prædicamento  
substantiæ , & sensus est substantiam esse ens  
per se subsistens aptitudinaliter.

Substantiæ diuisio in primam & secundam:  
est diuisio subiecti in accidentia , nam esse pri-  
mum vel secundum , esse singulare , vel vniuer-  
sale , sunt accidentia substantiæ : substantia  
prima est magis substantia quam secunda , non

non in ratione subsistendi per se, sed in ratione substantandi, quia substantia prima verbi gratia, Petrus per se substans accidentibus, substantia vero secunda verbi gratia homo substans accidentibus mediante Petro: Petrus etiam substans pluribus quam homo, substans enim petreitati, & homini, quibus homo non substans: Petrus igitur est magis substantia quam homo, (scilicet in ratione substantandi) tum intensius, tum etiam extensius: substantia prima continet in se primam, substantia vero secundam, non continet in se primam, sed sub se: cætera quæ spectant ad definitionem, diuisionem, & proprietates substantiæ, videbis in Compendio.

## CAPVT IV.

## De quantitate.

**Q**UALITAS est prior dignitate, quantitate, cum sola qualitas sit principium agendi: quantitas tamèn est prior qualitate *ordine naturæ & doctrinae*; quia quantitas est primum accidens materiæ primæ: & majorem habet affinitatem cum substantia (de quâ anteà) quippe; iº. non habet contrarium sicut substantias;

2°. non recipit magis & minus, sicut substantia ; 3°. subiectur omnibus accidentibus materialibus sicut substantia.

Inscribitur autem hoc caput de *quanto*, non de quantitate : 1°. quia quantum ut potest concretum nobis notius est quantitate quae est abstractum : 2°. quia Græci utuntur concretis pro abstractis : vnde dicunt τὸ λευκόν, id est album pro λευκότητι, id est albedo ; in hoc autem capite diuidit quantitatem ( quam in Compendio definiuimus, *accidens habens per se partem extra patem* ) & varias ejus proprietates tradit ; 1°. diuidit quantitatem in continuam & discretam quam diuisionem fusè persecuti sumus in Compendio ; 2°. eam diuidit in quantitatem quae habet partes positionem habentes, & in illam quae habet partes positionem non habentes : ubi aduertere tria requiri ut partes quantitatis habeant positionem ; 1°. illæ partes debent esse continuæ. Defectu hujus conditionis quantitas discreta non habet partes positionem habentes, cum quantitas discreta habeat partes discretas non continuas ; 2°. eadem partes debent esse permanentes, quare extempore pronunciamus, partes temporis ( quod est species quantitatis ) non habere positionem, quia licet sint continuæ, non tamen sunt permanentes,

sed

sed perpetuò fluentes; 3°. & vltimò debent esse alicubi sitæ & quasi digito demonstrabiles.

Sub finem hujus capititis Philosophus hanc difficultatem proponit circà hanc proprietatem quantitatis, *quantitas non habet contrarium*: locus supremus est quantitas, atqui locus supremus habet contrarium scilicet locum infimum, ergo quantitas habet contrarium: minor patet, nam locus supremus & locus infimus sunt sub eodem genere scilicet sub loco, maximè etiam distant inter se, &c. Ac proinde locus supremus & locus infimus sibi contrariantur. Respondetur locum supremum & locum infimum maximè distare inter se, distantia locali, sed non distantia essentiali & specifica, qua distantia essentiali contraria dicuntur inter se distare; cætera quæ pertinent ad quantitatem videbis in Compendio.

---

## CAPVT V.

### *De relatione.*

**Q**UALITAS est prior natura relatione cum sit fundamentum relationis, est etiam

S

longè perfectior relatione ; quare videtur legitimum ordinem postulare ut prædicamentum qualitatis præmiteretur prædicamento relationis , nihilominus Philosophus prædicamentum relationis anteponit prædicamento qualitatis , quia inter explicandam quantitatem mentionem fecerat relationis , quare ne ignorantia relationis retardet cognitionem perfectam quantitatis statim atque egit de quantitate , edifferit de relatione.

In hoc autem capite quatuor facit ; 1º. proponit definitionem relatorum traditam à veteribus ; 2º. recenset proprietates relatorum quales tradebantur à veteribus ; 3º. traditur vera definitio relatorum ; 4º. & vltimò assignantur veræ proprietates relatorum : veteres igitur definiebant relata *ea quorum esse est ad aliud* , sed hæc definitio non est legitima , cum conueniat entibus verè absolutis , scientia enim quæ est ens absolutum est habitus habens relationem ad aliud scilicet ad scibile , sensus etiam aliorum est dicuntur , scilicet rerum sensibilium ; veteres de relatis has tradebant proprietates ; *relata habent contrarium : relata recipiunt magis , & minus* : sed hæc proprietates sunt veræ proprietates qualitatis tantum , vndè si relationes contrariantur , intendantur , & remittan-

zur: contrariantur, intenduntur, & remittuntur ratione suorum fundamentorum quæ sunt veræ qualitates, rectè igitur definiuntur relata: ea quorum totum esse est referri ad aliud, cuius definitionis explicationem videbis in Compendio veras etiam proprietates relatorum explicatas ibi videbis.

## CAPVT VI.

*De qualitate.*

**V**bi de relatione egimus ad qualitatem considerandam nos accingimus; hoc autem caput in 4. partes diuiditur: in prima definitur qualitas in abstracto: in secunda diuiditur in suas species: in tertia describitur qualitas in concreto, siue nō quale: in ultima vero proponuntur proprietates qualitatis.

Quoad primam: varijs modis definitur qualitas; 1<sup>o</sup>. Thomas describit qualitatem, *accidens absolutum consequens formam*: quam descriptionem reijcimus; 1<sup>o</sup>. quia non conuenit omni, non enim conuenit figuræ quæ consequuntur quantitatem, ac proinde materiam, non vero formam; 2<sup>o</sup>. qualitates Angelorum sunt

veræ qualitates, & tamèn non sequuntur formam, cum in Angelis non sit forma; 3°. quia dantur qualitates quæ neque solam materiam, neque solam formam consequuntur, sed utramque conjunctim, quales sunt sensus qui neque corpus tantum, neque animam tantum consequuntur, sed utrumque conjunctim, siue corpus animatum. Suares describit qualitatem *accidens absolutum substantiae creatae adjunctum ad complementum sue perfectionis, tum in agendo, tum in existendo*: quæ descriptio peccat, quia non conuenit omni; non conuenit enim potentiae passiuæ, cum potentia passiuæ non perficiat substantiam in ordine ad actionem, vel ad existentiam, sed in ordine ad passionem: alij definiunt qualitatem *accidens absolutum quod interest substantiae ad ejus ornamentum, vel ad eam perficiendam in ordine ad agendum*, quæ definitio non valet cum non conueniat omni qualitati, non conuenit enim habitibus vitij, vel erroris, qui non possunt dici ad ornamentum substantiæ, vel ad eam perficiendam in ordine ad agendum; potentia etiam passiuæ non est ad ornamentum substantiæ, vel ad eam perficiendam in ordine ad agendum, ab Aristotele vero describitur *ea secundum quam quidam dicuntur quales*, quæ descriptio traditur per effectum:

vbi per vocem *quidam* intelligi debent homines , qui sunt subjecta nobilissima qualitatum, cum sint subjecta qualitatum corporalium , & spiritualium : vbi obiter notabis qualitatem distinguì à quantitate , eò quod quantitas conueniat rebus corporeis tantùm , qualitas vero conueniat omnibus rebus , tum corporeis , tum incorporeis : quoad secundam partem , scendum est qualitatem diuidi in quatuor species binomines scilicet habitum & dispositionem, potentiam naturalem & impotentiam , patibilem qualitatem & passionem , formam & figuram , quæ omnia videbis in Compendio; quoad tertiam , quale describitur illud *quod à qualitate denominatur*: neque committitur circulus quia dum qualitas definitur per quale , qualitas definitur per suum effectum , dum verò quale describitur per qualitatem , quale describitur per suam causam : neque obijciendum est *nō* quale esse æquè obscurum , ac *nō* qualitas , nam cum quale sit concretum , effectum , aliquid compositius , qualitas verò sit abstractum causa , simplicior , necessariò sequitur quale esse nobis notius qualitate ; quoad ultimam partem , animaduertendum est ; qualitatem habere has proprietates ; 1°. *qualitas habet contrarium*: quæ proprietas conuenit soli qualitati ; vndē

substantiæ , quantitas , relationes sibi contrariantur ratione qualitatum quas habent sibi adjunctas ; 2º . *qualitas recipit magis , & minus* , vbi aduerte , in qualitate , duplices esse partes , scilicet *extensiua*s , & *intensiua*s : partes extensiuae qualitatis sunt partes subjecti , in quibus recipitur qualitas ; partes intensiuæ sunt , vel Physicæ & reales ; vel Metaphysicæ ; partes intensiuæ vel Physicæ sunt gradus Physici & reales , qui sunt ejus nominis , & ejusdem essentiæ , inter se & cum qualitate : partes intensiuæ Metaphysicæ sunt gradus Metaphysici qui non sunt ejusdem nominis & ejusdem essentiæ , cum qualitate & inter se : præmissa hac distinctione , dicimus qualitatem recipere magis & minus secundum partes extensiuaes cum possit in esse pluribus , vel paucioribus partibus subjecti recipit etiam magis , & minus , secundum partes intensiuæ , Physicas siue secundum gradus Phyficos ; verbi gratia unus , & idem calor , potest habere modò plures , modò pauciores gradus caloris , sed non recipit magis , & minus , secundum gradus Metaphysicos ; 3º . & ultimò , à qualitate res dicuntur similes , vel dissimiles ; ab una scilicet qualitate , quam habent , similes vocantur , vt docet Philosophus , lib. 4. Met. cap. 15. his verbis ὁμοία λέγεται ὡν

modis sua, id est similia dicuntur ea quorum  
una est qualitas.

## CAPVT VII.

## De reliquis sex prædicamentis.

**Q**VÆ supersunt prædicamenta volante ca-  
lamo descriptissimus in Compendio, nunc  
paucā addemus de actione, de vbi, & habitu.

Notamus igitur 1°. actum agentis qua agen-  
tis esse triplicem; vnum qui producit: alium  
qui producitur: alium verò quo vnum producit  
& aliis producitur, verbi gratia in igne actus  
qui producit est calor qui est in igne; actus qui  
producitur est calor productus in ligno: actus  
verò quo calor ignis producit calorem similem  
in ligno, est calefactio. Hic autem vltimus actus  
agentis qua agentis est actio: Notamus 2°.  
ad actionem eliciendam quinque requiri. 1°.  
agens, 2°. potentiam agendi, 3°. patiens, 4°.  
potentiā patiendi in paciente, 5°. productionē  
formæ in paciente: Notamus 3°. actionem esse  
duplicem, vnam transeuntem, alteram imma-  
nentem: vbi aduerte actionem non dici tran-  
seuntem, quod transeat de subiecto in subje-

ctum; migratio enim accidentis de subjecto in subiectum est prorsus impossibilis: non dicitur etiam transiens, eo quod transeat de non esse ad esse; hoc enim sensu omnis omnino actio esset transiens, cum omnis actio transeat de non esse ad esse: postremò non dicitur transiens, eò quod ejus terminus transeat in patiēs; sic etiam enim omnis actio esset transiens, dicitur igitur transiens, eò quod ejus terminus, siue effectus, transeat ab agente in exterum patiens.

Circà *vbi* obseruamus *vbi* esse duplex, vnum definitivum, alterum circumscriptivum: *vbi* circumscriptivum est proprium substantijs corporeis; definitivum vero proprium est substantijs spiritualibus: omnis igitur substantia est in loco circumscriptiuè, vel definitiuè: illud dicitur esse in loco circumscriptiuè cuius partes circūscribuntur à partibus loci siue cuius partes coextenduntur partibus loci, ita ut suas partes habeat in varijs partibus loci, & totum sit in toto loco: illud vero dicitur esse definitiuè in loco, quod definitur ita hīc ut non sit alibi, non tamèn est coextensum loco: vndè dicitur esse totum in toto loco, & totum in qualibet parte loci. Circà *habitum* qui est ultima categoria obseruamus duas conditiones

requiri ad ejus constitutionem: 1°. in circum-  
positione substantiæ circà substantiam, vtra-  
que substantia debet esse corporea: vndè fit ut  
esse incarnatum non sit habitus in Christo,  
quia vna substantia scilicet diuina est spiri-  
tualis, imò & supremus spiritus: 2°. vna  
substantia corporea non debet esse pars alte-  
rius substantiæ corporeæ; & inde fit ut esse  
capitatum non sit habitus in Petro, cum caput  
sit ejus pars.

## CAPVT VIII.

*De postprædicamentis.*

S ATIS superque in Compendo ediscru-  
imus de postprædicamentis scilicet de op-  
positis, priori, simul, motu, & habere: hīc  
tamèn quædam adijciemus; 1°. de contrarijs;  
2°. de priuatione: postremò de differentia  
quæ datur inter relata, contraria, priuantia,  
& contradictoria.

Quoad primum, obseruamus 1°. contraria  
dici esse sub eodem genere scilicet proximo  
vel remoto, addimus vel remoto, quia justitia,  
& iniquitia quæ sunt vera contraria sunt qui-

dem sub diuerso genere proximo scilicet justitia sub habitu virtutis, injustitia vero sub habitu vitij, sed saltem sunt sub eodem genere remoto scilicet sub habitu: neque opponi debet bonum & malum esse contraria, & tamè bonum & malum non esse sub eodem genere prædicamentali, cum sint suprema genera. Respondeo enim 1°. bonum & malum usurpari vel Physicè vel moraliter: sumpta Physicè sunt priuantia, quia nomine boni formam intelligunt Physici, nomine vero mali priuationem: sumpta vero moraliter bonum & malum nihil aliud sunt, quam habitus moraliter bonus, & habitus moraliter malus; & sub hac notione sunt vera contraria, & sunt sub eodem genere scilicet sub habitu, adde quod contraria dicuntur esse, sub eodem, vel in eodem genere, scilicet in eodem genere Physico, siue in eadem materia Physica: & hoc sensu ipsa priuatio & ipsa forma sunt in eodem genere.

Notamus 2°. contraria maximè inter se distare, distantia scilicet essentiali vel specifica, non locali: excipies fortè in contrarium, avaritiam esse contrariam liberalitati neque propterèà maximè distare à liberalitate cum magis distet à prodigalitate. Huic autem exceptioni Resp. 1°. hæc verba maximè distare

debere intelligi de contrarijs adæquatis, non  
verò inadæquatis: auaritia autem est contra-  
rium inadæquatum liberalitatis: auaritia verò  
& prodigalitas: simul sumptæ sunt contrarium  
adæquatum liberalitatis, vnde etiam liberali-  
tas maximè distat ab illis duobus vitijs simul  
sumptis. Resp. 2°. auaritiam magis distare à  
prodigalitate Physicè, sed non moraliter con-  
trà verò magis conuenit moraliter cum prodi-  
galitate, quam cum liberalitate de priuatione  
traditur hæc definitio *carentia formæ in subiecto*  
*capaci*: vbi aduerte 1°. priuationē cōuenire cum  
negatione, eò quod sit absentia formæ, sicut  
negatio: distinguitur vero à negatione ( qualis  
est negatio visus in lapide ) eò quod connotet  
subiectum capax vel aptum; negatio verò con-  
notet subiectum ineptum: cum negatio defi-  
nitatur *absentia formæ in subiecto inepio*: aduerte  
2°. priuationem esse duplicem, unam perfe-  
ctam, alteram imperfectam: imperfecta est ea  
quæ tollit actum tantum: perfecta est ea quæ  
tollit actum & potentiam simul: ita somnus  
est priuatio imperfecta, quia tollit quidem  
actum vigilandi, sed non potentiam vigilandi;  
cæcitas vero est priuatio perfecta, quia tollit  
simul actum & potentiam videndi: aduerte 3°.  
à priuatione imperfecta ad habitū dari regres-

sum naturaliter , verbi gratia à somno ad vigilias reuertimur ; à priuatione vero perfecta ad habitum non datur regressus naturaliter , bene tamèn supernaturali Dei virtute qua non modo datur regressus ad eundem specie habitum, sed etiam ad eundem numero habitum.

Relata differunt à contrarijs , eò quod relata facile conueniāt eidem subjecto, non verò contraria, nam vñus & idem homo eodem tempore est Pater & Filius : omnia contraria differunt à priuantib' si contraria sint immediata , differunt eo quod contrariorū immediatorū necesse est alterutrum in esse subjecto capaci etiam in omni tempore ; priuantū vero non est necesse alterutrum in esse subjecto capaci in omni tempore , verbi gratia necesse est hominem in omni tempore esse justum vel injustum , non vero necessarium est catulum in omni tempore esse cæcum vel videntem , cum ante nonum diem, neque sit cæcus neque videns : si vero contraria sint mediata distinguntur à priuantibus , eò quod nunquam necessarium sit alterutrum contrariorum mediatorum in esse subjecto capaci, verbi gratia, nunquam necessarium est aliquod corpus esse album vel nigrum , cum possit esse sempèr viride vel cineracium , priuantum vero necesse est alterutrum , in esse subjecto

capaci saltē aliquo tempore , verbi gratia  
necessē est catulum post nonum diem , esse  
cācum vel videntem : contradicēntia vero dif-  
ferunt à cāteris , eo quod contradicēntium  
vnum sit necessariō verum , & aliud falsum ,  
de omni ente & non ente , quod de cāteris dici  
non potest .



## QVÆSTIONES

D E

# PRÆDICAMENTIS.

---

### QVÆSTIO I.

*Vtrum Deus sit in prædicamento substantiæ.*

**C**VM Deus optimus maximus sit sua sim-  
plicitate omni compositione superior ;  
& sua infinitate omni ente major : meritò cen-  
semus eum non contineri in categoria substanciæ , sed vt hæc veritas clarè elucescat .

Notamus 1°. omne ens categoricum esse

genus vel speciem , vel individuum , vel differentiam , vt patet ex hac definitione categoriarum , dispositio generis , specierum ; & individuorum cum differentijs à latere .

Notamus 2º. aliquid esse posse in categoria tribus modis , vel directe , vel indirecte , siue in linea collaterali , vel reductiuè .

Notamus 3º. vocem substantiarum sumi duabus modis , vel latè : vel strictè & categoricè : latè sumpta significat omne ens quod non est in subjecto inhæsionis , siue quod non est accidentis , quo sensu Deus est substantia : strictè & categoricè sumpta significat ens per se subsistens componens , vel compositum , quo sensu Deus non est substantia , cum nullo modo componat , vel componatur : his præmissis respondemus quæstioni negatiuè , negamus scilicet Deum esse in prædicamento substantiarum , sequentibus freti rationibus .

1º. Quicquid est in categoria substantiarum , est genus , vel species , vel individuum , vel differentia , atqui Deus nullum est ex illis , ergo non est in categoria substantiarum , confirmatur minor per partes 1º. non est genus , quia genus habet , vel saltem habere potest plures species , atqui Deus neque habet neque habere potest plures species : ergo Deus non est genus , mi-

nor patet non enim sunt neque esse possunt  
plures species diuinitatis ( vt voluerunt Ethni-  
ci ) qui majores & minores Deos adorabant  
2°. Deus non est species. 1°. quia , omnis spe-  
cies habet vel habere potest plura indiuidua,  
atqui Deus nec habet nec habere potest plura  
indiuidua , sic enim possent esse plures nu-  
mero dij ( quod repugnat ) vnde Naziansenus  
oratione aduersus idola , rectè dixit *deorum,*  
*pluralitas est Dei nullitas.* 2°. species constat  
ex genere & differentia , atqui Deus non con-  
stat ex genere & differentia , ergo Deus non  
est species : probatur minor , quicquid constat  
ex genere & differentia constat ex gradibus  
essentialiter finitis , atqui Deus non constat ex  
gradibus essentialiter finitis : ergo Deus non  
constat ex genere & differentia : probatur ma-  
jor , genus & differentia sunt gradus essentia-  
litèr finiti : ergo quicquid constat genere &  
differentia , constat ex gradibus essentialiter  
finitis : probatur antecedens , vel genus & dif-  
ferentia sunt gradus essentialiter finiti , vel  
essentialiter infiniti , atqui non sunt gradus  
essentialiter infiniti : ergo sunt gradus essentia-  
litèr finiti : probatur minor , si genus & diffe-  
rentia essent gradus essentialiter infiniti , se-  
mutuo includerent essentialiter , atqui genus

& differentia, se mutuò non includunt essentialiter, neque vnum est essentialiter aliud (vt est in confessu:) ergo genus & differentia non sunt gradus essentialiter infiniti, ratio majoris est quia infinitum includit omnem perfectiōnem, ac proinde si aliquis gradus sit essentialiter infinitus, necessariò sequitur eum includere essentialiter omnes gradus. 3°. Deus non est individuum scilicet categoricum, quia individuum ponitur sub aliqua specie, atqui Deus non ponitur sub aliqua specie, ergo Deus non est individuum: probatur minor, individuum sub aliqua specie, potest habere aliud individuum sibi æquale in perfectione essentiali, atqui Deus non potest habere aliud individuum sibi æquale in perfectione essentiali, ergo Deus non est individuum sub aliqua specie: ratio majoris est quia individua ejusdem speciei conueniunt æqualiter in specie quæ est eorum essentia totalis & adæquata: adde quod non potest assignari species sub qua Deus continetur. 4°. & vltimò Deus non est differentia, quia differentia est pars, & ens incompletum, quod de Deo dici non potest.

2°. Si Deus esset in categoria substantiæ, Deus & creaturæ conuenirent vniuersaliter in ratione substantiæ, atqui Deus & creaturæ non conueniunt

conueniunt vniuocè in ratione substantiæ : ergo Deus non est in prædicamento substantiæ, ratio majoris est quia , quicquid est in categoria, est vel genus supremum categoriæ , vel participat vniuocè genus illud supremum, (sermo est de re quæ est directè in categoria ) confirmatur autem minor , quæ conueniunt vniuocè in ratione substantiæ , participant æqualiter rationem substantiæ , atqui Deus & creaturæ non participant æqualiter rationem substantiæ : ergo non conueniunt vniuocè in ratione substantiæ : probatur minor , quæ participant æqualiter rationem substantiæ , sunt æqualia in ratione substantiæ : atqui Deus & creaturæ non sunt æquales in ratione substantiæ : ergo non participant æqualiter rationem substantiæ : minor patet , nullus enim est Christianorum qui hac propositione non offendatur, *creaturæ sunt æquales Deo in perfectione vel in gradu substantiæ.*

3°. Et vltimò quicquid est in categoria, componit , vel componitur : atqui Deus neque componit , neque componitur: ergo Deus non est in categoria , ratio majoris est quia , quicquid est in categoria , est genus , vel species, vel individuum , vel differentia , si sit genus, vel differentia componit , scilicet speciem : si

vero sit species vel individuum compositum probatur autem minor, per partes; 1°. Deus non componit, quia non est pars alterius; 2°, non componitur, quia est simplicissimus.

Dices Deum esse simplicissimum Physicè, sed non Metaphysicè, ac proinde Deum componi Metaphysicè: sed contrà sic arguo, Deus est simplex Metaphysicè, ergo nulla solutio: probatur antecedens, in Deo est simplicitas Metaphysica: ergo Deus est simplex Metaphysicè: probatur antecedens, omnis perfectio est in Deo, vel formaliter, vel eminenter: atqui simplicitas Metaphysica est aliqua perfectio: ergo simplicitas Metaphysica est in Deo, vel formaliter, vel eminenter: minor patet, cum enim compositio sit aliqua imperfectio, & nota imperfectionis, necessariò sequitur simplicitatem esse aliquam perfectionem, ac proinde sequitur compositionem Metaphysicā esse aliquam imperfectionem Metaphysicam, simplicitatem verò Metaphysicam, esse aliquam perfectionem Metaphysicam. Adeo quod si Deus, componatur Metaphysicè, non erit simplicior Angelo, cum Deus ex illa responsione habeat simplicitatem Physicam tantum, quam etiam habet Angelus.

Obijcitur 1°. Christus est in prædicamento

substantiæ, atqui Christus est Deus: ergo Deus est in prædicamento substantiæ. Respondeo distinguendo majorem, Christus est in prædicamento substantiæ: distinguo, Christus ut homo: concedo, Christus ut Deus nego: est igitur in prædicamento substantiæ secundum humanam naturam, non vero secundum diuinam: adde quod potest concedi totum argumentum, scilicet Deum esse in prædicamento substantiæ, hoc sensu, ille qui est Deus est in prædicamento substantiæ, sed ille qui est Deus non est in prædicamento substantiæ, prout est Deus

Obiicitur 2°. Deus recensetur inter substantias categoricas ab Aristotele lib. 1. Ethicorum cap. 6°. ergo Deus est substantia categorica. Respondeo 1°. Philosophum loqui de Deo Ethnicorum, qualis erat Iupiter, quem alibi idem Philosophus dicit esse animal immortale, sed de vero Deo non loquitur. Respondeo 2°. Deum vocari substantiam à Philosopho latè sumpto vocabulo substantiæ, prout substantia significat ens quod non est accidens, non vero vocatur substantia, strictè sumpto vocabulo substantiæ, quatenus substantia significat ens per se subsistens componens vel compositum, ac proinde non sequitur

ex illo loco Deum esse substantiam categoricam.

Obijcitur 3º. quæ sunt sub eodem genere; sunt in eodem prædicamento: atqui Deus & creaturæ sunt sub eodem genere: ergo Deus & creaturæ sunt in eodem prædicamento: probatur minor, quæ continentur sub eodem objecto scientiæ, sunt sub eodem genere: atqui Deus & creaturæ continentur sub eodem objecto scientiæ: ergo Deus & creaturæ sunt sub eodem genere: ratio majoris est quia objectum scientiæ solet vocari genus, minor vero confirmatur, quæ sunt sub ente sunt sub eodem objecto scientiæ (scil. Met.) atqui Deus & creaturæ potissimum Angeli sunt sub ente: ergo Deus & creaturæ sunt sub eodem objecto scientiæ: minor patet, ex eo quod ens diuidatur in finitum, & infinitum. Respondeo ad majorem secundi argumenti cum hac distinctione, quæ sunt sub eodem objecto scientiæ sunt sub eodem genere: distingo, sunt sub eodem genere scibili: concedo, prædicamentali: nego, quæ autem sunt sub eodem genere prædicamentali, sunt in eodem prædicamento, non vero ea quæ pertinent ad idem genus scibile ad quod pertinent Deus & creaturæ.

Obijcitur 4º. quicquid est sub genere præ-

dicamentali est in prædicamento : atqui Deus est sub aliquo genere prædicamentali : ergo Deus est in prædicamento : probatur minor, quicquid habet genus prædicamentale est sub genere prædicamentali : atqui Deus habet genus prædicamentale : ergo Deus est sub genere prædicamentali : probatur minor , quicquid habet differentiam essentialem habet genus prædicamentale : atqui Deus habet differentiam essentialem : ergo Deus habet genus prædicamentale : ratio majoris est , quia differentia essentialis semper est conjuncta cum genere, cum sit essentialiter diuisiua generis : probatur autem minor , quicquid differt essentialiter à creaturis habet differentiam essentialem : atqui Deus differt essentialiter à creaturis : ergo Deus habet differentiam essentialem. Respondeo negando Deum habere differentiam essentialem : ad majorem vero vltimi argumenti respondeo cum hac distinctione quicquid differt essentialiter à creaturis habet differentiam essentialem : distingo , si differat per unicum sui gradum concedo : si differat per omnes sui gradus nego : Deus autem differt à creaturis per omnes sui gradus.

Obijcitur 5°. si aliquid impedit quominus Deus sit in prædicamento illud est vel ejus sim-

plicitas, vel ejus infinitas: atqui neutrum dici potest: ergo nihil impedit quominus Deus sit in prædicamento: probatur minor 1º. simplicitas non impedit nam Angeli sunt simplices & tamen sunt in prædicamento; 2º. infinitas non impedit nam ex Aristotele si daretur linea infinita non desineret esse in prædicamento quantitatis. Respondeo 1º. negando majorem quia neque sola simplicitas neque sola infinitas impedit ne Deus sit in prædicamento, neque alterutra disiunctim, sed utraque conjunctim hoc impedit, siue simplicitas infinita, vel infinitas simplex impedit ne Deus sit in prædicamento. Respondeo 2º. concedendo majorem, & negando minorem, ad primum verò incommodum dico Angelos esse quidem simplices secundum quid, scilicet respectu compositionis Physicæ sunt enim expertes materiæ & formæ, sed non sunt simpliciter simplices, siue omni respectu simplices, in Angelos enim cadit compositio Metaphysica ex esse & essentia, ex genere & differentia, Deus vero est actus simpliciter simplex, siue omni respectu simplex adeò ut liber sit ab omni compositione tum Physica tum Metaphysica, quare ab Angelis ad Deum nulla est consequentia; ad secundum incommodum dico ab infinite lineæ

ad infinitatem Dei nullam etiam esse legitimam consequentiam, quia linea esset infinita secundum quid, scilicet secundum longitudinem tantum, Deus vero est infinitus simpliciter & secundum omnes suos gradus.

Obijcitur 6<sup>o</sup>. & vltimò mensura & mensuratum sunt ejusdem generis: atqui Deus & creatura sunt mensura & mensuratum: ergo Deus & creatura sunt ejusdem generis: major est apud Aristotelem lib. 10. Metaph. cap. 1<sup>o</sup>. cuius verba sunt *α'εὶ δὲ οὐγένες τὸ μέτρον*, id est mensura autem est semper ejusdem generis: minor etiam patet nam perfectionem creaturæ mensuramus à majori vel minori distantia quam habet à Deo. Respondeo distinguendo maiorem mensura & mensuratum sunt ejusdem generis: distingo, mensura per excessum finitum, siue mensura categorica concedo: mensura per excessum infinitum, & mensura transcendentalis nego: Deus autem est mensura per excessum infinitum respectu creaturarum: instabis atqui Deus non est mensura per excessum infinitum: ergo nulla solutio: probatur antecedens, si Deus esset mensura per excessum infinitum, creaturæ distarent infinitè à Deo; atqui creaturæ non distant infinitè à Deo: ergo Deus non est mensura per excessum

infinatum: probatur minor, quæ infinitè distant à Deo æqualiter distant à Deo: atqui creaturæ non distant æqualiter à Deo: ergo creaturæ non distant infinitè à Deo: ratio majoris est quia distantia infinita nunquam est vel esse potest major vel minor, ac proinde semper est æqualis, infinito enim nihil addi vel detrahi potest: probatur autem minor, quæ æqualiter distant à Deo sunt æqualiter perfecta: atqui creaturæ non sunt æqualiter perfectæ: ergo creaturæ non distant æqualiter à Deo: ratio majoris est quia quò magis vel minus creature distant à Deo, eò magis vel minus est perfecta, si vero omnes creaturæ æqualiter distent, necessariò sequitur eas esse æqualiter perfectas. Respondeo ad majorem ultimi argumenti cum hac distinctione quæ infinitè distant æqualiter distant, distinguo: sub illo respectu quo infinitè distant, concedo: sub alio nego: creaturæ autem distant infinitè ratione termini à quo distant scilicet ratione Dei, qui solus est infinitus; non vero distant infinitè ratione sui, quare distantia creaturarum à Deo non potest esse major vel minor respectu Dei, bene tamè respectu ipsarum creaturarum.

## QVÆSTIO II.

*Vtrum Angeli sint in prædicamento substantiæ.*

**Q**VÆSTIONEM præsentem breuiter profigaturi statim pronuntiamus Angelos contineri in categoria substantiæ, nostramque sententiam probamus his argumentis.

1°. Omne ens finitum & completum est in prædicamento, atqui Angelus est ens finitum & completum, ergo Angelus est in prædicamento: ratio majoris est, quia ens completum & finitum diuiditur in decem summa genera, ac proinde si aliquid sit ens finitum & completum debet esse necessariò, vel aliquod genus supremum prædicamentale, vel sub aliquo supremo genere prædicamentali: minor etiam patet, cum Angelus sit ens creatum constans genere & differentia, constans scilicet ex substantia tanquam genere, & spiritualitate tanquam differentia.

2°. Vel Angelus est suprà prædicamentum, vel infra prædicamentum vel in prædicamento, atqui Angelus non est suprà prædicamentum,

non etiam infra prædicamentum : ergo est in prædicamento , & cum sit substantia est in prædicamento substantiæ : probatur minor per partes ; 1°. non est supra prædicamentum, quia hæc est prærogatiua solius Dei ; non est etiam infra prædicamentum , quia Angelus non est individuum, sed species , quæ autem sunt infra prædicamentum sunt individua , quare concludendum est Angelum esse in prædicamento.

Obijcitur 1°. quicquid est directè in prædicamento est genus supremum vel saltem constat genere supremo , atqui Angelus nec est genus supremum prædicamenti substantiæ , neque constat genere supremo , ergo Angelus non est directè in prædicamento : probatur minor per partes ; 1°. Angelus non est genus supremum, quia genus supremum est potentia passiua; Angelus autem ut potè actus purus & simplissimus non est potentia passiua ; 2°. Angelus non constat genere supremo , quia quicquid constat genere supremo , constat potentia passiua: atqui Angelus ut potè actus purus & simplex non constat potentia passiua : ergo Angelus non constat genere. Respondeo Angelum constare genere supremo , ad incommodum vero dico actum simpliciter & absolutè purum non constare potentia passiua , benè tamen actum

qui est purus & simplex secundum quid tantum Angelus autem est actus purus secundum quid & aliquo respectu tantum, scilicet respectu compositionis Physicæ, sed non est actus purus respectu compositionis Metaphysicæ, ac proinde Angelus non constat potentia passiva Physica, benè tamen constat potentia passiva Metaphysica quæ est genus.

Obijcitur 2º Angelus non est species substantiæ : ergo Angelus non est in categoria substantiæ ; probatur antecedens , omnis species habet differentiam specificam : atqui Angelus non habet differentiam specificam : ergo Angelus non est species : probatur minor spiritualitas non est differentia specifica Angeli: ergo Angelus non habet differentiam specificam: probatur antecedens , si spiritualitas esset differentia specifica Angeli , sicut se habet rationale ad hominem ; ita se haberet spiritualitas ad Angelum : atqui falsum posterius , ergo & prius: ratio consequentiæ majoris est , quia sicut rationale est differentia specifica hominis, ita spiritualitas est differentia specifica Angeli : probatur autem minor , rationale siue anima rationalis potest existere sine homine; spiritualitas vero (scilicet spiritualitas Angeli) non potest existere sine Angelo. Respondeo

ad majorem vltimi argumenti cum hac distinctione ; si spiritualitas esset differentia specifica Angeli , sicut se habet rationale ad hominem , ita se haberet spiritualitas ad Angelum , distinguo : in quibusdam , concedo : in omnibus nego : ratio discriminis est , quia anima rationalis est forma Physica hominis quæ distinguitur realiter à corpore ; spiritualitas verò non est forma Physica , sed est actus Metaphysicus qui non distinguitur realiter à substantia Angeli .

Obijcitur 3°. quæ sunt in eodem prædicamento sunt sub eodem genere : atqui Angeli & substantiæ corporeæ non sunt sub eodem genere : ergo Angeli & substantiæ corporeæ non sunt in eodem prædicamento : probatur minor quæ sunt sub eodem genere conueniunt in genere , atqui Angeli & substantiæ corporeæ non conueniunt in genere : ergo non sunt sub eodem genere : probatur minor quæ differunt genere non conueniunt in genere , atqui Angeli & substantiæ corporeæ differunt genere : ergo Angeli & substantiæ corporeæ non conueniunt in genere : probatur minor , incorruptibile & corruptibile differunt genere , atqui Angeli sunt incorruptibles & substantiæ corporeæ sunt corruptibles : ergo Angeli &

Substantiæ corporeæ differunt genere: majorem probant ex Philos. lib. 10. Metaph. c. vlt. ita loquente ἀνάγκη τῷ γένει τοῦ φθαρτοῦ οὐκ ἀφθαρτοῦ, id est necessarium est corruptibile & incorruptibile esse genere diuersa. Respondent quidam incorruptibile & corruptibile differre genere Physico siue materia Physica, quatenus corruptibile componitur ex materia Physica, non verò incorruptibile: sed non differre genere Logico vel prædicamentali, cum omnes substantiæ, siue corruptibiles, siue incorruptibiles conueniant vniuocè in ratione substantiæ quæ est genus prædicamentale. Alij respondent ad majorem cum hac distinctione, corruptibile & incorruptibile differunt genere, distingunt: genere subalterno & proximo concedunt: genere supremo & remoto negant; cum genus proximum rei incorruptibilis sit substantia spiritualis, genus vero proximum rei corruptibilis sit substantia corporea, nihilominus res corruptibiles & res incorruptibiles conueniunt in substantia, tanquam in genere supremo: sed pace tot & tantorum amicorum respondemus in loco supra laudato ex Aristotele contineri errorem Typographi qui loco speciei posuit genus, quod patet euidentissimè intuentibus locum, nam Philosophus ita argumentatur

contraria differunt specie , atqui corruptibile & incorruptibile sunt contraria , ex quibus propositionibus necessariò sequitur elicienda hæc conclusio : ergo corruptibile & incorruptibile differunt specie , non verò differunt genere : sic enim sunt quatuor termini in syllogismo , Typographus verò loco speciei posuit genus .

Obijcitur 4° . & vltimò substantia non est communis Angelis & substantijs corporeis : ergo Angeli & substantia corporeæ non conueniunt vniuocè in ratione substantię : probatur antecedens , si substantia esset communis Angelis & substantijs corporeis , esset substantia corporea , vel spiritualis , atqui neutrum dici potest : ergo substantia non est communis Angelis & substantijs corporeis : probatur minor per partes ; 1° . substantia corporea non est communis Angelis , cum Angeli non sint corporei ; 2° . substantia spiritualis non est communis Angelis & substantijs corporeis , cum substantię corporeæ non sint spirituales . Respondeo substantiam quæ est communis Angelis & substantijs corporeis , neque esse corpoream , neque spiritualem , cum præscindat à corporeitate & incorporeitate .

Instabis 1° . atqui substantia quæ est genus supremum non præscindit ab incorporeitate :

ergo nulla solutio : probatur antecedens , sub-  
stantia quæ est genus supremum est incorporea ,  
ergo non prescindit ab incorporeitate : proba-  
tur antecedens , quæ substantia excludit corporeitatem est incorporea , atqui substantia  
sumpta in genere excludit corporeitatem , ergo  
substantia sumpta in genere est incorporea : pro-  
batur minor , vel substantia in genere includit  
corporeitatem , vel eam excludit , atqui illam  
non includit , ergo eam excludit : minor pa-  
tet , si enim includeret corporeitatem esset  
corporea , ac proinde non esset communis An-  
gelis , vt supra diximus . Respondeo ad majo-  
rem primi argumenti , quæ substantia excludit  
corporeitatem est incorporea , distinguo : si  
eam excludat positivè ponendo scilicet diffe-  
rentiam contrariam quæ est non spirituale con-  
cedo : si eam excludat negatiuè tantùm scilicet  
quatenus illam non includit , vel ab illa abstra-  
hit nego : substantia autem sumpta in genere  
excludit corporeitatem negatiuè tantum qua-  
tenus prescindit ab illa vt supra diximus .

Instabis 2o. atqui substantia in genere non  
prescindit à corporeitate & incorporeitate ,  
ergo nulla solutio : probatur antecedens , sub-  
stantia in genere participat corporeitatem vel  
incorporeitatem , ergo substantia in genere

non præscindit ab illis : probatur antecedens, species entis participat aliquam differentiam diuisiuam entis, atqui substantia est species entis ; corporeitas vero & incorporeitas sunt differentiæ diuisiuæ entis cum ens diuidatur in corporeum & incorporeum , ergo substantia participat aliquam differentiam diuisiuam entis , ac proinde participat corporeitatem vel incorporeitatem : ratio majoris est quia differentia quæ diuidit genus constituit speciem illius generis , ita homo qui est species animalis participat alterutram differentiam diuisiuam animalis , scilicet rationalitatem vel irrationalitatem. Respondeo distinguendo majorem species entis participat aliquam differentiam diuisiuam entis , distingo : differentiam proximè diuisiuam entis concedo : differentiam remotè diuisiuā entis nego : corporeitas autem & incorporeitas diuidunt ens remotè & mediatè , mediatè scilicet ipsa substantia , hoc exemplo rem illustro , corpus est species substantiæ  $\pi$  animatum &  $\pi$  inanimatum possunt dici differentiæ quæ diuidunt substantiam , & tamen non est necessarium corpus sumptum in genere esse animatum vel inanimatum , quia  $\pi$  animatum &  $\pi$  inanimatum diuidunt substantiam remotè & mediatè , mediante scilicet ipso

ipso corpore: si vero opponatur genus desumi à materia & differentiam à forma teste Porphyrio, in Angelis autem neque esse materiam neque formam, ac proinde in Angelis non esse genus & differentiam. Respondendum est sententiam Porphyrij debere intelligi de substantijs corporeis tantum: si etiam opponatur æternum carere potentia passiuæ ex Aristotele Angelos esse æternos cum sint immortales, ac proinde Angelos carere potentia passiuæ. Respondendum est æternum carere potentia passiuæ ad sui corruptionem, sed non potentia passiuæ ad sui perfectionem, ac proinde Angeli habent potentiam passiuam ad sui perfectionem.

## QVÆSTIO III.

*Vtrum differentiæ substantiarum sint substantiæ.*

**I**N H A C quæstione tanquam in alto luto constituti æstuant Philosophi, & quò se vertant nesciunt: alij volunt differentias specificas substantiarum esse meras qualitates: alij docent differentias specificas substantiarum

esse substantias , alij vero contendunt differentias substantiarum , neque esse planè substantias , neque esse planè qualitates , sed esse aliquid medium inter substantias & qualitates , siue esse qualitates essentiales vel substantiales in tanta philosophorum dissensione libenter pronuntiamus differentias specificas substantiarum esse substantias , & vt facilius nos expediamus à difficultatibus quibus hæc quæstio urgetur .

Notamus 1° . h̄ic non disputari de differentijs accidentalibus substantiarum , sed de differentijs essentialibus substantiarum .

Notamus 2° . qualitatem esse duplēm , unam , secundum modum tantum , aliam secundum modum & secundum rem simul : qualitas secundum modum tantum est ea quæ videtur esse qualitas , neque tamèn est verè qualitas : qualitas secundum modum & secundum rem est ea quæ videtur esse qualitas & verè est qualitas .

Notamus 3° . & ultimò vocem differentiæ sumi dupliciter , vel materialiter pro re quæ dicitur differentia qualis est nō rationale , vel formaliter pro differentieitate quæ est forma à qua res dicitur differentia ; h̄ic non disputamus de differentijs sumptis formaliter siue de differentieitate , sed de differentijs sumptis

materialiter ; quales sunt *ad sentiens ad rationale*. His prænotatis nostra sententia est differentias essentiales substantiarum esse substantias ; & eam probamus argumentis quæ sequuntur.

i°. Differentia essentialis substantiæ non est accidens ; ergo est substantia : probatur antecedens ; omne accidens est in subjecto , atqui differentia essentialis substantiæ non est in subjecto : ergo differentia essentialis substantiæ non est accidens : probatur minor , si differentia essentialis substantiæ esset in subjecto esset in genere , vel in specie tanquam in subjecto , atqui neutrum dici potest : ergo non est in subjecto : probatur minor per partes ; i°. differentia essentialis non est in genere tanquam in subjecto , quia differentia essentialis non est actu in genere , sed potentia tantum , ( ut est in confessio ) verbi gratia rationale , non est actu in animali , ac proinde differentia essentialis non est in genere tanquam in subjecto ; 2°. differentia essentialis , non est in specie , tanquam in subjecto inhæsionis , quia quod est in specie tanquam in subjecto inhæsionis est accidentaliter in specie : atqui differentia specifica non est accidentari in specie cum sit pars essentialis speciei : ergo differentia speci-

fica , non est in specie , tanquam in subiecto inhæsionis , vnè concludendum est differentiam specificam substantiæ esse substantiam.

Respondet Balphoureus negando consequiam hujus syllogismi , differentia essentialis substantiæ non est accidens , ergo est substantia : quia vult inter substantiam & accidens dari medium , scilicet qualitatem essentialiem , & hoc illustrat exemplo coloris respectu candoris ; color enim inquit respectu candoris siue albedinis neque est substantia neque accidens , sed qualitas est essentialis : quod exemplum licet à candore desumptum non tamen candidum est : contrà enim sic arguo ; 1° . qualitas categorica est accidens , atqui color est qualitas categorica , ergo color est accidens : probatur minor patibilis qualitas ut potè species qualitatis est qualitas categorica , atqui color est patibilis qualitas , ergo color est qualitas categorica : 2° . color non est qualitas respectu albedinis vel candoris , quia qualitas prædicatur in quale , atqui color respectu candoris non prædicatur in quale , ergo color respectu candoris non est qualitas : major patet ; qualitas enim sumpta generaliter est ea à quares dicitur qualis , ac proinde prædicatur in quale : minor etiam liquet cum color prædice .

tur essentialiter & in quid de candore : si vero Balphourei sequaces excipient qualitatem accidentalem prædicari in quale , non vero qualitatem essentialem , qualis est color respectu albedinis : regero aduersarios miserè petere principium , quia supponunt dari qualitatem essentialem , quod negamus , & de hoc controuertitur.

2°. Omnis pars essentialis substantiæ est substantia , atqui differentia specifica substantiæ , est pars essentialis substantiæ : ergo differentia specifica substantiæ est substantia : probatur major , quicquid componit substantiam est substantia : atqui omnis pars essentialis substantiæ componit substantiam : ergo omnis pars essentialis substantiæ est substantia : major patet ex Aristotele , lib. 1. Phys. cap. 6°. πῶς , inquit , ἐν τινὶ στοιχείοις τὸ τι ἔσται ? Id est quomodo ex non substantijs fieret substantia ?

Respondent aduersarij distinguendo majorem posterioris argumenti , quicquid componit substantiam est substantia : distinguunt , quicquid componit compositione Physica , concedunt : si componat compositione Metaphysica , negant ; differentia autem essentialis substantiæ , componit substantiam compositione Metaphysica : contrà hanc respon-

sionem sic arguo ; primò Philosophus absolute negat substantiam componi ex non substantijs uam vehemens illa interrogatio quomodo ex non substantijs fieret substantia ? Äquivalet absolutæ negationi ; adde quod frigida foret illa interrogatio , quomodo ex non substantijs fieret substantia ? Si posset excipi in contrarium ex non substantijs fieri substantiam compositione Metaphysica : 2º. omnes partes definitionis substantiæ sunt substantiæ teste ipso Phil. lib. 4. Metaph. cap. 8º. atqui differentia essentialis substantiæ est pars definitionis substantiæ cum definitio perfecta substantiæ constet genere & differentia essentiali : ergo differentia essentialis substantiæ est substantia : 3º. substantia & accidens non constituant ens per se , sed ens per accidens , atqui genus & differentia essentialis constituant ens per se , ergo genus & differentia essentialis non sunt substantia & accidens , sed sicut genus substantiæ est substantia , ita differentia essentialis substantiæ , est substantia : minor patet , genus enim & differentia essentialis constituant speciem quæ est planè ens per se .

3º. A qualitate dicimur alterari , atqui à differentia essentiali substantiæ non alteramur ex Phil. lib. 6. Topic. cap. 3º. cuius verba sunt

in annos uisus est diaforegēs, id est non alteramur secundum differentias, ergo differentia essentia- lis substantiae non est qualitas.

Obijcitur 1°. contraria sunt qualitates, atque differentiae specificae sunt contrariae, ergo differentiae specificae sunt qualitates: major patet ex definitione contrariorum: minor etiam est in confesso, cum omnes Philosophi doceant genus diuidi per differentias contraria. Respondeo contraria esse duplia; alia Physica, alia Logica: Physica sunt termini incompossibles, siue qui non possunt esse simul siue ambo sint positivi, siue unus sit positius, & alter negatius vel priuatius; siue contraria Physica sunt ea quae opponuntur quatenus unum est aliquid perfectum, & aliud aliquid imperfectum: contraria vero Logica sunt qualitates sub eodem genere inter se directe pugnantes, &c. Priora contraria dicuntur imperfecte contraria; posteriora vero dicuntur perfecte contraria: vnde ad argumentum, contraria sunt qualitates, distinguo: contraria Logica, concedo: Physica nego. Differentiae autem specificae sustantiarum sunt contraria Physica non Logica.

Obijcitur 2°. quicquid praedicatur in quale est qualitas, atque differentia specifica substan-

tiæ prædicatur in quale, ergo differentia specifica substantiæ est qualitas: minor patet ex definitione differentiæ specificæ quæ est *prædicabile de multis specie vel numero differentibus in qua'e quid*: & quærenti quale animal est homo, bene respondeatur est rationale. Respondeo 1°. retorquendo argumentum, quod prædicatur in quale est qualitas, atqui differentia specifica prædicatur in quale de specie, ergo differentia specifica est qualitas respectu speciei, si vero sit qualitas respectu speciei est accidens respectu speciei, negant tamen aduersarij differentiam esse accidens respectu speciei. Respondeo 2°. distinguendo majorem quicquid prædicatur in quale est qualitas, distinguo: est qualitas secundum modum prædicandi concedo: secundum modum prædicandi & modum essendi simul nego: differentia igitur essentialis est qualitas secundum modum prædicandi quia prædicatur adjectiū sicut qualitas, sed non secundum modum essendi, quia differentia essentialis substantiæ est de essentia substantiæ vnde non prædicatur in quale simpliciter sed in quale quid.

Obijcitur 3°. propter quod unumquodque est tale illud est magis tale, atqui propter differentias substantiæ secundæ sunt quales, ergo

differentiæ substantiarum sunt magis quales: minor patet: nam substantiæ secundæ significant quale quid ratione differentiarum. Respondeo concedendo totum argumentum, quia non concludit contra Thesim: non concludit enim differentiam essentiale substantiæ esse qualitatem, sed esse magis quale Thesim autem est differentia essentialis substantiæ non est qualitas. Respondeo 2°. negando minorem & ad ejus probationem dico substantiam secundam significare quidem quale quid, sed non esse quale quid; quare hæc ratio nulla est: substantia secunda significat quale quid ratione differentiæ, ergo substantia secunda est qualis ratione differentiæ.

Postremò obijcitur authoritas Aristotelis lib. 4. Metaph. cap. 13. vbi leguntur hæc verba λέγεται η παύσης διαφοραὶ φύσεων, id est differentia substantiæ dicitur qualitas. Respondeo differentiam essentiale substantiæ dici qualitatem secundum modum, non secundum rem, quia se habet ad modum qualitatis sicut enim qualitas adueniens subjecto determinat subjectum ad tale esse, ita differentia essentialis adueniens generi modificat & determinat & quasi qualificat genus verbi gratia rationale aliqua ratione qualificat animal.

## QVÆSTIO IV.

*De proprietatibus substantiæ.*

**S**Ex traduntur proprietates substantiæ in Compendio: circa primam quæ est *substantia non est in subjecto inhæsionis*. obicitur à Gassendo differentia essentialis substantiæ non est ejus proprietas, atqui non esse in subjecto inhæsionis est differentia essentialis substantiæ, ergo non esse in subjecto inhæsionis non est proprietas substantiæ: probatur minor, subsistere per se est differentia essentialis substantiæ, atqui non & non esse in subjecto inhæsionis est subsistere per se, ergo & non esse in subjecto inhæsionis est differentia essentialis substantiæ. Respondeo 1°. & non esse in subjecto inhæsionis & & subsistere per se esse quidem idem realiter, sed non formaliter; nam & non esse in subjecto inhæsionis sequitur ex & subsistere per se, sicut risibilitas sequitur ex rationalitate, ac proinde minor ultimi argumenti est falsa: 2°. dato non concessso & subsistere per se & & non esse in subjecto inhæsionis esse prorsus idem. Respondeo negando majorem posterioris ar-

gumenti; subsistere enim per se non est differentia essentialis substantiae, sed ejus est proprietas quarto modo: ratio est quia genus supremum quale est substantia non est vera species, ac proinde non habet veram differentiam specificam.

Circa quartam proprietatem quae est substantia non habet contrarium obijcitur 1º. forma substantialis est substantia, atqui forma substantialis habet contrarium, scilicet priuationem sui, ergo substantia habet contrarium. Respondeo 1º. distinguendo minorem formam substantialis habet contrarium, distinguo: Physicum cedendo: habet contrarium Logicum, nego: priuatio enim est contrarium Physicum. Respondeo 2º. concedendo totum argumentum, quia non est contra Thesim quae est substantiae substantia non contrariatur; argumentum enim non probat substantiam contrariari substantiae, sed probat non substantiam contrariari substantiae, cum priuatio formae substantialis sit absentia substantiae & non substantia. Obijcitur 2º. substantia aquae contrariatur substantiae ignis, ergo substantia contrariatur substantiae. Respondeo substantiam aquae contrariari substantiae ignis per accidens & ratione qualitatum contrariarum, quae sunt

calor & frigus humiditas & siccitas, sed non contrariantur per se & ratione substantiae.

Circa sextam & ultimam proprietatem substantiae quae est *vna & eadem numero substantia potest recipere contraria cum sui mutatione*: obijcitur, haec proprietas conuenit quantitati & orationi, ergo non conuenit soli substantiae singulari: antecedens probatur, nam vna & eadem quantitas parietis recipit modò albedinem modò nigredinem cum sui mutatione, cum *ex alba fiat nigra*: oratio etiam qua dico Petrus sedet: recipit contraria cum sui mutatione, quia dum Petrus sedet veritatem obtinet, quando vero non sedet recipit falsitatem, ac proinde *ex vera fit falsa*. Respondeo quantitatem parietis recipere contraria scilicet albedinem & nigredinem tanquam subjectum *quo id est quo mediante substantia parietis recipit illa contraria*, sed sola substantia recipit contraria tanquam subjectum *quod id est quod propriè recipit & propriâ suâ vi fulcit tum quantitatē tum alia accidentia*: quarè quantitas non recipit, sed substantia mediante quantitate recipit: ad orationem quod spectat i<sup>o</sup>. dici potest cum Ruuio, si agatur de oratione vocali, eam recipere veritatem & falsitatem sine sui mutatione, quia veritas & falsitas quae mutant propositiones

nem vocalem non sunt intrinsecè & formaliter in oratione vocali: sed ei conueniunt extrinsecè & significatiuè tantum , quatenus est signum veritatis conceptus: si agatur de oratione mentali dici potest cum eodem eam recipere veritatem & falsitatem tanquam subjectum *quo id est quo mediante anima quæ est substantia recipit veritatem & falsitatem, ac proinde sola substantia recipit tanquam subjectum quod*

*2º. respondetur orationem non mutari sed objectum orationis* ~~scilicet~~ Petrum , qui ex sedente fit non sedens: si oratio dicatur mutari, dicitur mutari per denominationem extrinsecam : *3º. veritas & falsitas , vtpotè priuantia sunt contraria Physica non Logica : sola igitur substantia verè dicitur recipere contraria Logica : 4º. respondeo orationem recipere veritatem & falsitatem cum sui mutatione intelligibili & Metaphysica , quatenus transit de esse veram ad non esse veram , sed non cum sui mutatione sensibili & Physica sola igitur substantia recipit contraria cum sui mutatione Physica & sensibili.*



## QVÆSTIO V.

*Quenam sit essentia quantitatis.*

**C**ELEBRIS est difficultas de essentia quantitatis circa quam maxima est inter doctiores controuersia : alij volunt essentiam quantitatis esse mensuram ut Thomistæ , alij docent diuisibilitatem esse essentiam quantitatis ut Scotistæ : alij vero contendunt positionem partium extra partes siue extensioñem veram esse essentiam quantitatis & hanc ultimam sententiam amplectimur , sed ut haec quæstio facilius expediatur de more nonnulla prænotabimus.

Notamus igitur 1º. vocem extensiōnis sumi dupliciter vel Physicè vel Mathematicè : sumpta Physicè significat actionem qua res quanta extenditur vel dilatatur , hoc sensu actio hominis extendentis corium dicitur extensio : extensio sumpta Mathematicè significat positionem partium extra partes à qua res dicitur formaliter extensa ; quando dicimus extensionem esse essentiam quantitatis , extensio sumitur Mathematicè non Physicè .

Notamus 2°. mensuram esse duplicem, *acti-  
num scilicet, & passiuam*: mensura actiua est ea  
qua res quanta potest mensurare aliud: men-  
sura passiuua est ea qua res quanta potest men-  
surari ab alio: neutra autem est essentia quan-  
titatis.

Notamus vltimò hæc tria scilicet *exten-  
sionem, æqualitatem, aut inæqualitatem, mensur-  
abilitatem*, esse ita inter se affecta, vt ex exten-  
sione sequatur æqualitas aut inæqualitas, adeò  
vt res sint æquales aut inæquales ob exten-  
sionem quam habent: mensurabilitas verò sequa-  
tur ex æqualitate aut inæqualitate, adeò vt res  
sint mensurabiles, quia sunt æquales aut inæ-  
quales: his igitur prænotatis respondemus vt  
antea scilicet extensionem vel positionem par-  
tium extra partes, esse veram essentiam quan-  
titatis, & nostram sententiam probamus hoc  
argumento.

Quod primariò & per se conuenit quanti-  
tati est essentia quantitatis: atqui extensio vel  
positio partium extra partes conuenit primariò  
& per se quantitati, ergo extensio vel positio  
partium extra partes est essentia quantitatis:  
ratio majoris est quia sola essentia est id quod  
primariò conuenit rei, & in re nihil est prius  
ipsa rei essentiâ: minor etiam patet, nam men-

surabilitas & diuisibilitas conueniunt quantitati secundariò , & mediante extensione, adeo ut quantitas sit mensurabilis & diuisibilis , quia est extensa siue habet partes extra partes , vnde etiam patet neque mensuram neque diuisibilitatem esse essentiam quantitatis.

Obijcitur 1°. essentia quantitatis conuenit soli quantitati : atqui extensio non conuenit soli quantitati : ergo extensio non est essentia quantitatis: probatur minor extensio conuenit corpori : ergo non conuenit soli quantitati. respondere distinguendo majorem essentia quantitatis conuenit soli quantitati distinguo : conuenit primariò & immediatè soli quantitati concedo : conuenit siue primariò siue secundariò , siue immediatè siue mediatè nego : extensio autem siue positio partium extra partes conuenit corpori mediatè mediante scilicet ipsa quantitate ideo enim est extensum quia est quantum.

Obijcitur 2°. Aristoteles definit quantitatem modò per diuisibilitatem , modò per mensurabilitatem : ergo diuisibilitas & mensurabilitas sunt essentia quantitatis : Respondeo Philosophum definire quantitatem per diuisibilitatem aut mensurabilitatem definitione imperfecta & tradita à posteriori , non vero definitione

tione perfecta, & tradita à priori, vndè sequitur diuisibilitatem & mensurabilitatem esse quidem proprietates quantitatis, sed non ejus essentiam: quia verò non parua lis est inter nos & Pontificios quænam extensio sit essentia quantitatis, priusquam manum de hac quæstione tollamus hanc difficultatem attingimus.

Volunt igitur aduersarij extensionem esse triplicem, scilicet *entitatiuam*, *quantitatiuam*, & *localem*: extensio entitatiua est multitudo partium realiter distinctarum, siue sint in eodem loco siue sint in diuersis locis: extensio quantitatiua est extensio vel positio partium extra partes in ordine ad se extensio localis est positio partium *extra partes in ordine ad locum*: ita ut partes non sint in eodem loco, sed in diuersis locis; præmissa hac distinctione dicunt extensionem entitatiuam & extensionem quantitatiuam esse essentiam quantitatis non verò extensionem localem, ac proinde docent quantitatem corporis Christi retinere semper in Sacramento Eucharistiæ extensionem entitatiuam, & extensionem quantitatiuam, sed non extensionem localem, cum omnes ejus partes sint in eodem loco penetratiuè: sed contra hanc distinctionem; i°. sic arguo. Partes distinctionis debent inter se pugnare: atqui par-

tes superioris distinctionis non pugnant inter se : ergo non sunt partes legitimæ distinctionis; minor probatur eò quod extensio quantitatiua, sit essentialiter entitatiua : cum enim quantitas sit essentialiter entitas, quantitatuum est essentialiter entitatum, vndè clarè pater quantitatium & entitatium non pugnare inter se : 2°. si datur extensio quantitatiua , datur quantitas quantitatiua , cum extensio sit quantitas; atqui non datur quantitas quantitatiua ; ergo neque datur extensio quantitatiua : probatur minor, omne quantitatuum habet quantitatem ; atqui quantitas non habet quantitatem ; ergo quantitas non est quantitatiua : minor patet, si enim quantitas haberet quantitatem vel habere seipsum (quod absurdum est dictu) vel aliam quantitatem à se distinctam quæ cum foret etiam quantitatiua haberet aliam quantitatem, vnde sequeretur dari progressum in infinitum à quo abhorret recta ratio : 3°. ex illa doctrina sequitur impossibile : ergo non est admittenda: probatur antecedens , ex illa doctrina sequitur corpus esse penetrabile cum doceant extensionem entitatiuam & extensionem quantitatiuam non impedire penetrationem: ergo , &c. Probatur vero consequentia , corpus esse penetrabile est merum impossibile : ergo si sequatur

corpus esse penetrabile sequitur impossibile; probatur antecedens, quod inuoluit contradictionem est impossibile: atqui corpus esse penetrabile inuoluit contradictionem: ergo corpus esse penetrabile est impossibile: probatur minor, quod inuoluit corpus esse spiritum inuoluit contradictionem: atqui corpus esse penetrabile inuoluit corpus esse spiritum: ergo corpus esse penetrabile inuoluit contradictionem: minor probatur, quod inuoluit corpus esse substantiam penetrabilem, inuoluit corpus esse spiritum cum spiritus definiatur *substantia penetrabilis*: atqui corpus esse penetrabile, inuoluit corpus esse substantiam penetrabilem: ergo corpus esse penetrabile inuoluit corpus esse spiritum: neque debes excipere corpus distinguiri à spiritu eò quod corpus componatur ex materia & forma non spiritus: nam statim in medium afferro materiam primam, quæ est substantia corporea, de qua non poteris affirmare quod componatur ex materia & forma: 4°. ex superiori doctrina sequitur absurdum, scilicet remanere positionem partium extra partes in ordine ad se, & tamen omnes partes confluere in punctum siue in indiuisibile, quænam enim potest esse extensio, quænam positio partium extra partes in punto cuius nulla est pars?

Dices fortè remanere adhuc positionem partium extra partes in ordine ad se, at quisnam potest esse ordo vbi non est superius nec inferius, quomodo possunt esse ordinatæ illæ partes; cur non sunt potius confusissimæ cum omnes coalescant in indiuisibile? Quare male docetur extensionem essentiale quantitatis esse positionem partium extra partes, siue partes sint in puncto siue non: positionem verò partium extra partes qua partes non sunt in puncto, nec esse possunt, esse accidentalem quantitati: contra quam doctrinam: 1°. sic arguo, vbi datur positio partium extra partes ibi dantur partes: atqui in puncto non dantur partes: ergo in puncto non datur positio partium extra partes: probatur minor, vbi nulla est pars ibi non sunt partes: atqui in puncto nulla est pars, punctum enim est *id cuius nulla pars*: ergo in puncto non sunt partes: 2°. vbi datur positio partium extra partes, ibi datur aliquid habens partes extra partes: atqui in puncto non datur aliquid habens partes extra partes: ergo in puncto non datur positio partium, &c. Probatur adhuc minor, vbi datur aliquid habens partes extra partes, ibi datur diuisibile in partes: atqui in puncto non datur diuisibile in partes, cum punctum sit aliquid simpliciter

indivisibile: ergo in puncto non datur aliquid habens partes extra partes: 3°. vbi datur positio partium extra partes, ibi dantur partes extra partes: atqui in puncto non dantur partes extra partes: ergo in puncto non datur positio partium extra partes: minor patet, cum enim illæ partes se mutuò penetrent in puncto, sunt in se inuicem non verò extrà se inuicem.

## QVÆSTIO VI.

*Verum linea superficies & corpus sint species quantitatis.*

**H**VIC quæstioni respondemus affirmatiuè & sententiam nostram ita probamus quæ habent essentiam quantitatis, & distinguntur per differentias essentiales sunt species quantitatis: atqui linea superficies & corpus habent essentiam quantitatis, & distinguntur per differentias essentiales: ergo linea superficies & corpus sunt species quantitatis: minor probatur per partes; 1°. linea habet essentiam quantitatis, quia linea est essentialiter extensio in longum: 2°. superficies habet etiam essentiam quantitatis cum superficies sit essentialiter ex-


tensio in longum & latum: corpus similiter habet essentiam quantitatis cum corpus sit essentialiter extensio in longum, latum, & profundum: præterea linea superficies & corpus distinguuntur per differentias essentiales, cum linea sit extensio in solam longitudinem vel sit essentialiter longitudo tantum: superficies sit essentialiter longitudo & latitudo tantum: corpus vero sit longitudo, latitudo & profunditas.

Obijcitur 1°. omnis species quantitatis est ens positivum, atque linea non est ens positivum: ergo linea non est species quantitatis: probatur minor, nulla negatio est ens positivum: atque linea est negatio: ergo linea non est ens positivum: probatur minor, quale est principium tale est principiatum: atque principium lineæ est negatio: ergo linea est negatio: minor probatur, punctum est principium lineæ: atque punctum est negatio cum definiatur, id cuius nulla pars: vel negatio ulterioris longitudinis: ergo principium lineæ est negatio. Respondeo 1°. ad majorem tertij argumenti cum hac distinctione quale est principium tale est principiatum, distingo: quale est principium componens vel per viam compositionis tale est principiatum, concedo: quale est principium terminans vel per viam termini tale est principia-

tum, nego: punctum autem est principium lineæ per viam termini à quo incipit linea, sed non per viam compositionis quia non componit lineam. Respondeo 2°. punctum definiri quidem per negationem non tamen esse negationem: multa enim definiuntur per negationem vel ob summam perfectionem quam habent ut Deus & Angeli: vel quia ignoramus eorum differentias essentiales.

Obijcitur 2°. vna species non est pars essentialis alterius speciei sibi oppositæ: atqui linea est pars essentialis superficiei: ergo linea & superficies non sunt duæ species sibi oppositæ: probatur minor, longitudo est pars essentialis superficiei, atqui longitudo est linea: ergo linea est pars essentialis superficiei: major patet, ex prædicta definitione superficiei. Respondeo negando minorem longitudo enim non est linea, sed longitudo sine latitudine: in superficie autem non datur longitudo sine latitudine, ac proinde in superficie non datur linea tanquam pars essentialis superficiei.

Dices superficiem definiri per lineam ut lineam: ergo linea ut linea est de essentia superficiei. Respondeo superficiem definiri per lineam, tanquam per sui terminum, non verò tanquam per sui partem.



## QVÆSTIO VII.

*Vtrum locus sit species quantitatis.*

**I**N T E R species quantitatis loco locum damus, sed ut hæc veritas clarius pateat.

Notamus 1°. h̄ic agi de loco externo qui definitur superficies prima & immobilis, &c.

Notamus 2°. locum habere duplex subiectum vnum *inhæsionis*, siue cui inhæret, alterum *denominationis*, siue cui adhæret & quod continet, verbi gratia superficies aëris ambientis Petrum, habet aërem tanquam subiectum inhæsionis, siue cui inhæret: Petrus verò quem ambit est ejus subiectum denominationis cum denominetur locatus ab illa superficie aëris, his prænotatis, respondemus quæstioni affirmatiuè affirmamus scilicet locum esse speciem quantitatis continuæ & sententiam nostram probamus hoc argumento.

Quantitas continua distincta essentialiter à cæteris speciebus quantitatis, est species quantitatis continuæ: atqui locus est quantitas continua distincta essentialiter à cæteris speciebus quantitatis; ergo locus est species quantitatis

continuæ : probatur minor per partes ; 1°. locus est quantitas continua , vt probatur hoc argumento , superficies est quantitas continua: atqui locus ex sua definitione est superficies: ergo locus est quantitas continua ; 2°. locus distinguitur essentialiter à cæteris speciebus, vt probatur hoc argumento , quod distinguitur per differentiam sibi essentialem à cæteris speciebus quantitatis , distinguitur essentialiter à cæteris speciebus quantitatis: atqui locus distinguitur per differentiam sibi essentialem à cæteris speciebus quantitatis: ergo locus distinguitur essentialiter à cæteris speciebus quantitatis : minor patet, locus enim distinguitur à cæteris speciebus quantitatis per non continere locatum , non continere autem locatum est differentia essentialis loci, sine qua locus nec esse , nec concipi potest.


Obijcitur 1°. locus non distinguitur essentialiter à superficie : ergo locus & superficies non sunt duæ species quantitatis continuæ, sed sunt vna & eadem species quantitatis : probatur antecedens , superficies non distinguitur essentialiter à superficie : atqui locus ex sua definitione est superficies: ergo locus non distinguitur essentialiter à superficie. Respondeo ad majorem posterioris argumenti cum hac distin-

ctione, superficies non distinguitur essentialiter à superficie, distinguo: si superficies sumatur utroque eodem sensu, concedo: si sumatur diuerso sensu, nego: superficies enim externa & ambiens locatum, distinguitur essentialiter, à superficie interna & quæ non ambit: locus autem est superficies externa & ambiens locatum, superficies vero immediate enumerata post lineam est interna & terminans sed non ambiens.

Obijcitur 2º. omnis species quantitatis est ens per se: atqui locus non est ens per se: ergo locus non est species quantitatis: probatur minor, nullum ens per accidens est ens per se: atqui locus est ens per accidens, verbi gratia locus nauis in aqua existentis: ergo locus non est ens per se: probatur minor, quicquid constat ex pluribus entibus actu est ens per accidens: atqui locus, verbi gratia nauis existentis in aqua constat ex pluribus entibus actu, scilicet ex superficie aquæ, & ex superficie aëris, quæ sunt plura entia actu: ergo locus nauis existentis in aqua est ens per accidens. Respondet Balphoreus locum nauis constare ex pluribus entibus actu in ratione continuitatis, quia constans ex pluribus superficiebus, constat ex pluribus continuitatibus numero diuer-

sis, sed non constare ex pluribus entibus actu in ratione continentiae, quia illae duæ continuitates concurrunt ad constituendam vnam & eandem continentiam locati: non placet nobis hæc responsio Balphorei, quia ex illa responsione sequitur locum constare ex pluribus entibus actu in ratione continuitatis, ac proinde esse ens per accidens in genere quantitatis continuæ, si vero est ens per accidens in genere quantitatis continuæ, quomodo dici potest species quantitatis continuæ? Respondeamus igitur locum nauis existentis in aqua, non esse unum locum sed multiplicem, totuplex est scilicet locus quotuplex est superficies ambiens, hic autem agitur de loco, non de locis in plurali, quod si illi duo loci censeantur unus & idem locus nauis, sunt unus & idem locus per accidens & per aggregationem, non vero sunt unus & idem locus unitate simplici & per se.

Obijcitur 3°. & vltimò si locus esset superficies, quicquid est in loco foret in superficie, atqui falsum posterius ergo & prius: minor probatur, nam supremum cœlum est in loco, non tamen est in superficie, quia non habet corpus superius à quo ambiatur. Respondeo supremum cœlum esse in loco interno, sed non in externo, de externo verò nunc agitur.



## QVÆSTIO VIII.

*Vtrum tempus sit species quantitatis  
continuae.*

**T**EMPUS est ut de tempore loquamur, quæstioni autem præsenti respondentes affirmamus tempus esse speciem quantitatis continuae & sententiam nostram ita probamus.

Quantitas continua distincta essentialiter à cæteris speciebus quantitatis est species quantitatis continuae : atqui tempus est quantitas continua distincta essentialiter à cæteris speciebus quantitatis ; ergo tempus est species quantitatis continuae : probatur minor per partes; 1º. tempus est quantitas, quia quicquid habet primariò & per se partes extra partes est quantitas : atqui tempus habet primariò & per se partes extra partes : ergo tempus est quantitas: probatur minor quicquid habet partes post partes habet partes extra partes , atqui tempus habet partes post partes cum partium temporis aliæ succedant alijs : ergo tempus habet partes extra partes ; 2º. tempus est quantitas continua , quia quantitas cuius partes communi

termino copulantur est continua: atqui tempus est quantitas cuius partes communi termino copulantur: ergo tempus est quantitas continua: probatur minor præteritum & futurum sunt partes temporis: atqui præteritum & futurum communi termino copulantur: ergo partes temporis communi termino copulantur: minor patet, præteritum enim & futurum copulantur per  $\tau\delta$  nunc siue per instans præsens, vndē etiam patet tempus esse quantitatem successiuam, cum habeat partes quarum aliæ succedunt alijs; 3°. & vltimò tempus distinguitur essentialiter à cæteris speciebus quantitatis, cum distinguatur ab illis secundum suam definitionem, quæ est numerus motus secundum prius & posterius.

Obijcitur 1°. omnis species quantitatis est ens posituum: atqui tempus non est ens posituum: ergo tempus non est species quantitatis: probatur minor, nullum ens rationis est ens posituum: atqui tempus est ens rationis: ergo tempus non est ens posituum: probatur minor, quod existit dependenter ab intellectu tantum est ens rationis: atqui tempus existit dependenter ab intellectu tantum, teste Aristotele lib. 4. Metaph. cap. 14. vbi ita loquitur *αὐτὸν διέρρει τοῦ οὐχίσ μη γίνεται, id est impossibile*.

bile est existere tempus anima non existente. Respondeo tempus posse concipi duobus modis, vel absolutè in se, prout est duratio motus primi mobilis, vel comparate ad nos prout est mensura qua mensuramus res hujus vitæ. Tempus consideratum sub priori notione vocatur tempus naturale, sub posteriori verò consideratum dicitur tempus ciuale, vndè ad argumentum tempus existit dependenter ab intellectu tantum, distinguo: tempus ciuale, concedo: tempus naturale, nego. Agitur autem hīc de tempore naturali, cum enim tempus naturale siue duratio motus primi mobilis, sit longè supra nos, rectè dici potest hīc cum Socrate: quæ supra nos nihil ad nos.

Obijcitur 2°. omnis species quantitatis continuæ est quantitas continua: atqui tempus non est quantitas continua sed discreta: ergo tempus non est species quantitatis continuæ: probatur minor, omnis numerus est quantitas discreta: atqui tempus est numerus est prædicta definitione: ergo tempus est quantitas discreta. Respondeo numerum esse duplicem, scilicet vnum numerantem, alterum numeratum: numerus numerans est multitudo vnitatum qua utimur ad numerandum: numerus numeratus sunt res quæ numerantur, vndè ad argumentum omnis

numerus est quantitas discreta , distinguo : numerus numerans , concedo : numerus numeratus , nego : tempus autem est numerus numeratus , siue est res quæ numerantur.

Instabis 1°. atqui tempus non est numerus numeratus : ergo nulla solutio , probatur antecedens , omnis numerus numeratus existit per intellectum tatum : atqui tempus non existit per intellectum tantum : ergo tempus non est numerus numeratus: major patet, numeratio enim à qua numerus dicitur numeratus est operatio mentis numerantis. Respondeo numerum numeratum esse duplicum , vñus est numerus numeratus in actu primo , siue numerabilis , alter est numerus numeratus in actu secundo , siue actualiter numeratus , prior dicitur numeratus , quia est aptus natus numerari , posterior dicitur numeratus , quia de facto numeratur , vndè ad argumentum numerus numeratus est per intellectum tantū , distinguo: numerus numeratus in actu secundo , siue qui de facto numeratur , concedo : numerus numeratus in actu primo , siue numerus numerabilis , qui est aptus numerari , nego : tempus autem est numerus numeratus in actu primo , siue est numerus numerabilis.

Instabis 2°. atqui tempus non est numerus numerabilis , ergo nulla solutio : probatur an-

cedens, si tempus esset numerus numerabilis, numerus numerabilis foret genus temporis: atqui falsum posterius: ergo & prius, nullum concretum est genus abstracti, verbi gratia coloratum non est genus albedinis: atqui numerus numeratus in actu primo, siue numerabilis est concretum, concrescit enim ex rebus quae numerari possunt & ex numerabilitate, tempus vero est abstractum: ergo numerus numerabilis non est genus temporis. Respondeo numerum sumi in definitione temporis promensa quae est abstractum, vnde Aristoteles qui definiuit tempus numerum, &c. Definiuit etiam tempus *mensuram motus secundum prius & posterius.*

Obicitur 3º. omnis species quantitatis continuae est: atqui tempus non est: ergo tempus non est species quantitatis continuae: probatur minor, illud cuius partes non sunt, non est: atqui partes temporis non sunt: ergo tempus non est: probatur minor, praeteritum & futurum sunt partes temporis: atqui praeteritum & futurum non sunt: ergo partes temporis non sunt: minor patet, praeteritum non est, quia effluxit, futurum etiam nundum est. Respondeo distinguendo majorem secundi argumenti, illud cuius partes non sunt non est, distingo: si illud totum

totum sit ens permanens concedo , si illud totum sit ens successuum nego : tempus autem est totum successuum , ratio est quia omne totum permanens habet suas partes simul & semel , verbi gratia Petrus habet corpus & animam simul & semel : totum vero successuum habet suas partes successivas unam scilicet post aliam.

Dices atqui tempus non est totum successuum : ergo nulla solutio : probatur antecedens omne totum successuum existens habet aliquam saltem sui partem existentem , atqui tempus non habet aliquam sui partem existentem , ergo tempus non est successuum existens : probatur minor , si tempus habet aliquam sui partem existentem , illa pars existens foret praeteritum , vel futurum , vel praesens , atqui nullum dici potest , ergo tempus non habet aliquam sui partem existentem : probatur minor , praeteritum & futurum non existunt ( vt supra vidimus ) praesens vero non est pars temporis ut probatur : si praesens esset pars temporis , esset pars indivisibilis , vel diuisibilis , atqui neutrum dici potest , ergo praesens non est pars temporis : probatur minor , i<sup>o</sup>. praesens non est pars indivisibilis , quia quaelibet pars temporis est tempus , ( cum tempus sit totum homoge-

neum, ) si vero quælibet pars temporis sit tempus sequitur quamlibet partem temporis esse diuisibilem ; 2°. non est pars diuisibilis, quia si præsens esset pars diuisibilis præsens esset diuisibile vel in partes permanentes , vel in partes successiuas , atqui neutrum dici potest, ergo præsens non est pars diuisibilis : probatur minor per partes ; 1°. præsens non est diuisibile in partes permanentes , quia quicquid est diuisibile in partes permanentes est totum permanens, atqui præsens non est totum permanens, sed successuum : ergo præsens non est diuisibile in partes permanentes ; 2°. præsens non est diuisibile in partes successiuas , quia quicquid est diuisibile in partes successiuas , componitur ex partibus prioribus & posterioribus: atqui præsens non componitur ex partibus prioribus & posterioribus : ergo præsens non est diuisibile in partes successiuas : probatur minor , si præsens componeretur ex partibus prioribus & posterioribus , præsens compone- retur ex præterito & futuro , atqui absurdum est præsens componi ex præterito & futuro, ergo absurdum est præsens componi ex parti- bus prioribus & posterioribus. Respondeo, tempus habere partes existentes , non quidem permanenter , sed desinenter & incipienter

secundum naturam rerum successuarum: habet scilicet ultimam partem præteriti & primam partem futuri existentes in præsenti, quatenus in præsenti ultima pars præteriti definit existere & prima pars futuri incipit existere: istæ autem partes quarum vna definit & altera incipit copulantur per rō præsens.

## Q V A E S T I O IX.

*Vtrum numerus sit species quantitatis  
discretæ.*

**N**O n desunt plurimi qui in hac quæstione valere jussa doctiorum autoritate numerum à categoria quantitatis eliminant, tum quia arbitrantur numerum non esse ens reale, tum quia existimant numerum esse ens per accidens: nos verò numerum inter species quantitatis discretæ numerare non dubitamus, sed vt veritas sententiae nostræ clarius pateat.

Notamus 1°. numerum esse multitudinem vnitatum, vt videri potest in Compendio.

Notamus 2°. numerum esse duplicem transcendentalem vnum, categoricum alterum: transcendentalis est multitudo vnitatum, non

quantarum, qualis est multitudo vnitatum Angelorum: numerus categoricus est multitudo vnitatum quantarum & discretarum, & de hoc numero categorico nunc est sermo.

Notamus 3°. numerum categoricum esse duplarem scilicet, numeratum, vel numerantem: numerus numeratus sunt res quae numerantur, verbi gratia decem homines sunt numerus numeratus: numerus numerans est multitudo vnitatum quantarum, qua vtimur ad numerandum. Hic non agimus de numero numerato, quia cum numerus numeratus sit concretum, non potest esse in categoria quantitatis, tota igitur disputatio est de numero numerante: vt autem sententiam nostram clarius probemus, & numerum esse speciem quantitatis demonstremus, haec tria seorsim probabimus; 1°. numerum esse ens reale, 2°. numerum esse ens per se, 3°. & vltimò numerum esse quantitatem discretam distinctam essentialiter ab alijs speciebus quantitatis.

Probatur numerum esse ens reale, 1°. quia ubi est numerus numeratus, ibi est numerus, atqui numerus numeratus est à parte rei, ergo numerus est à parte rei, ratio majoris est quia numerus non est numeratus, nisi per numerum minor probatur, cum verè dicamus ibi esse

decem homines à parte rei , decem autem homines sunt numerus numeratus ; 2° . fundamen-  
tum relationis realis est ens reale , quia funda-  
mentum semper est nobilior relatione cuius est  
fundamentum , atqui numerus est fundamen-  
tum relationis realis , scilicet paritatis , vel im-  
paritatis , quæ sunt relationes existentes inde-  
pendenter ab intellectu : ergo numerus est ens  
reale .

Probatur numerum esse ens per se : omne  
verum genus est ens per se , atqui numerus est  
verum genus : ergo numerus est ens per se : mi-  
nor patet , numerus enim prædicatur de pluri-  
bus speciebus , scilicet de numero ternario , &  
binario , in quæstione quid , ac proinde est ge-  
nus : adde quod objectum scientiæ est ens per se :  
atqui numerus est objectum scientiæ , scilicet  
Arithmeticæ , ergo numerus est ens per se .

Probatur numerum esse quantitatem discre-  
tam distinctam essentialiter à cæteris speciebus  
quantitatis , quicquid habet primariò & per se  
partes discretas extra partes discretas , est quan-  
titas discreta , atqui numerus habet primariò  
& per se partes discretas extra partes discretas ,  
verbi gratia numerus denarius habet per se vni-  
tates priores ( quæ sunt partes discretæ ) extra  
postiores : ergo numerus est quantitaris dis-

creta : numerum verò distingui essentialiter à cæteris speciebus quantitatis facile probatur ex eo quod numerus distinguatur per suam definitionem à cæteris speciebus quantitatis.

Obijcitur 1º. ternarius numerus Angelorum est verus numerus , atqui ternarius numerus Angelorum non est quantitas discreta , neque est species quantitatis discretæ : ergo numerus non est quantitas discreta , neque species quantitatis discretæ. Respondeo numerum ternarium Angelorum esse numerum transcendentalē cum sit multitudo vnitatum non quantarum : non verò esse numerum quantitatuum siue numerum qui componatur ex pluribus unitatibus quantis , de quo nunc agitur , vndè ad argumentum numerus ternarius Angelorum est verus numerus distinguo : est verus numerus transcendentalis concedo : quantitatus nego.

Obijcitur 2º. omnis species quantitatis est ens positium , atqui numerus non est ens positium: ergo numerus non est species quantitatis: probatur minor , nullum ens rationis est ens positium , atqui numerus est ens rationis: ergo numerus non est ens positium : probatur minor , quicquid existit per intellectum tantum est ens rationis , atqui numerus existit per

intellectum tantum: ergo numerus est ens rationis: minor probatur; 1°. autoritate Aristotelis lib. 4. Phys. cap. 14. vbi docet impossibile esse, dari numerum si non sit anima intelligens; 2°. probatur hac ratione si ratio formalis numeri existat per intellectum tantum, numerus existit per intellectum tantum, atqui verum prius: ergo & posterius: probatur minor, ordinatio, vel numeratio unitatum est ratio formalis numeri, atqui ordinatio, vel numeratio unitatum existit per intellectum tantum, ergo ratio formalis numeri existit per intellectum tantum: minor patet, solus enim intellectus ordinat & numerat unitates. Respondeo negando numerum esse ens rationis, vel existere per intellectum tantum: ad locum vero Aristotelis respondeo eum loqui de numeratione actuali numeri quae existit per intellectum tantum, sed Aristoteles non loquitur de numerabilitate quae est differentia essentialis numeri, & quae existit independenter ab intellectu, unitates enim numerantur quidem per intellectum tantum, sed sunt numerabiles per se à parte rei, & habent numerabilitatem in seipsis.

Obijcitur 3°. omnis species quantitatis est aliquid unum per se: atqui numerus non est aliquid unum per se: ergo numerus non est species quan-

titatis : probatur minor , multa entia non sunt  
ens vnum per se, atqui numerus est multa entia:  
ergo numerus non est ens vnum per se ; proba-  
tur minor , multæ vnitates sunt multa entia:  
atqui numerus est multæ vnitates cum sit mul-  
titudo vnitatum: ergo numerus est multa entia.  
Respondeo numerum posse concipi dupliciter,  
vel materialiter , vel formaliter : sumptus ma-  
terialiter nihil est aliud quam multæ vnitates  
simul sumptæ : sumptus formaliter dicit plures  
vnitates ut numerabiles secundum prius & po-  
sterius : secunda enim est numerabilis post pri-  
mam , & tertia post secundam , &c. Vnde ad  
argumentum numerus est multæ vnitates , ac  
proinde multa entia distinguo : sumptus mate-  
rialiter concedo : sumptus formaliter nego:  
contrà verò sumptus formaliter est vnum per se,  
quia vnitates vniuntur per numerabilitatem  
quam habent & concurrunt ad constituendum  
numerum per se vnum.

Instabis 1°. atqui numerus formaliter sum-  
ptus non est ens reale per se vnum , ergo nulla  
solutio : probatur antecedens , numerus forma-  
liter sumptus non est ens reale : ergo numerus  
formaliter sumptus non est ens reale per se  
vnum:probatur antecedens, forma numeri non  
est aliquid reale : ergo numerus formaliter

sumptus non est ens reale : probatur antecedens quod existit per intellectum tantum , non est aliquid reale , atqui forma numeri existit per intellectum tantum : ergo forma numeri non est aliquid reale , probatur minor , ordo vnitatum est forma numeri , atqui ordo vnitatum existit per intellectum tantum: ergo forma numeri existit per intellectum tantum: minor patet , ordo enim vnitatum est à solo intellectu qui ordinat vnam primam , aliam secundam , aliam tertiam , &c. Respondeo distinguendo majorem vltimi argumenti , ordo vnitatum est forma numeri distinguo : ordo sumptus in actu primo pro ordinabilitate concedo ; sumptus in actu secundo pro ordinatione actuali nego. Ordo autem sumptus in actu secundo pro ordinatione actuali existit tantum per intellectum , sed ordo sumptus in actu primo pro ordinabilitate existit à parte rei , quia vnitates à parte rei à se habent ordinabilitatem , vel numerabilitatem secundum prius & posterius.

Instabis 2°. atqui ordinabilitas non constituit numerum ens per se vnum : ergo nulla solutio : probatur antecedens , quod constituit numerum ens per se vnum constituit numerum vnum secundum entitatem , atqui ordinabilitas , vel numerabilitas non constituit

numerum vnum secundum entitatem: ergo ordinabilitas, vel numerabilitas non constituit numerū ens per se vnum: probatur minor quod constituit numerum vnum secundum ordinem tantum, non constituit eum per se vnum secundum entitatem, atqui ordinabilitas, vel numerabilitas constituit numerum vnum secundum ordinem tantum: ergo ordinabilitas, vel numerabilitas non constituit numerum vnum per se secundum entitatem: major patet, si enim vnitas ordinis constitueret ens per se vnum secundum entitatem, exercitus qui habet vnitatem ordinis foret ens per se vnum secundum entitatem (quod tamen est falsum.) Resp. negando minorem vltimi argumenti, ordinabilitas enim quæ est in numero non tantum constituit numerum vnum vnitate ordinis, sed etiam vnitate entitatis cum ipsa ordinabilitas sit aliqua entitas numeri, & numerus sit vhus secundum ordinabilitatem.

Obijcitur 4°. nullum ens per accidens est species quantitatis: atqui numerus est ens per accidens: ergo numerus non est species quantitatis: probatur minor, quicquid constat ex pluribus entibus actu completis est ens per accidens: atqui numerus constat ex pluribus entibus actu completis: ergo numerus est ens per

accidens: probatur minor, denarius numerus hominum est numerus: atqui denarius numerus hominum constat ex pluribus entibus actu completis, scilicet ex pluribus hominibus: ergo numerus constat ex pluribus entibus actu completis; adde quod numerus denarius hominum constat ex substantia & accidente, scilicet ex hominibus, & ex numero. Resp. numerum esse duplicum, vnum numerantem, alterum numeratum ( de quibus anteà, ) vnde ad argumentum, denarius numerus hominum est numerus distinguo; est numerus numeratus siue numerus in concreto concedo: est numerus numerans siue numerus in abstracto ( de quo nunc ) nego.

Obijcitur 5°. quicquid est directè in categoria quantitatis est genus vel species, vel individuum: atqui numerus nullum est ex illis: ergo numerus non est directè in categoria quantitatis: probatur minor per partes; 1°. non est individuum quia numerus est prædicabilis de pluribus speciebus in quid scilicet de numero ternario, & de numero binario, &c. 2°. non est species, scilicet infima ob rationem jam allatam; 3°. numerus non est genus quia nullum genus habet infinitas species: atqui numerus habet infinitas species, quia dato quolibet

numero potest dari major & hoc sine fine : ergo numerus non est genus. Respondeo numerum esse genus , ad majorem verò ultimi argumenti respondeo cum hac distinctione nullum genus habet infinitas species , distinguo : infinitas actu concedo : infinitas potentia nego: species autem numeri sunt infinitæ potentia non actu , neque opponi debet formam numeri non esse certam & determinatam , quia pro arbitrio nostro mutari potest cum intellectus noster in numero verbi gratia ternario possit substituere primam unitatem in locum tertiae , & tertiam in locum primæ , atqui ita prima unitas quæ non erat forma numeri ternarij sit ejus forma : ad hoc enim respondendum est formam numeri ternarij non mutari , quia forma numeri ternarij non est hæc vel illa tertia unitas , sed est tertia unitas præcisè sumpta , quare quamuis modò hæc modò illa unitas sit tertia , semper verum est tertiam unitatem additam secundæ esse formam numeri ternarij.



## QVÆSTIO X.

*Vtrum oratio sit species quantitatis discretæ.*

**B**REVITER & clarè hanc quæstionem proligaturi.

Notamus 1°. hīc non agi de oratione complexa de qua in lib. de Interp. sed hīc loquimur de oratione simplici, qualis est verbi gratia hæc dictio homo.

Notamus 2°. orationem simplicem esse triplicem, scilicet mentalem, scriptam & vocalēm, de mentali vel scripta non disputamus sed de vocali.

Notamus 3°. in oratione vocali tria esse distinguenda, scilicet sonum, significationem, & extensionem, vel durationem syllabarum: sonus est patibilis qualitas: significatio est relatio, duratio vero syllabarum est quantitas orationis, duratio scilicet syllabarum, non qualis fit pro arbitrio hominis, sed qualis fit habita ratione longitudinis vel breuitatis syllabarum; his præmissis affirmamus orationem vocalēm esse speciem quantitatis discretæ, & hoc probamus auctoritate Aristotelis qui in

capite de quantitate vbi dixit orationem esse  
quantitatem addit λέγει τὸν λόγον μὲν φωνῆς γε  
νόμενον, id est dico orationem quae fit cum  
vocē: deinde hoc probamus ratione sequenti.

Quantitas discreta distincta essentialiter à  
cæteris speciebus quantitatis est species quan-  
titatis discretæ: atqui oratio vocalis est ejus-  
modi: ergo oratio vocalis est species quanti-  
tatis discretæ: prob. min. per partes; 1º. oratio  
vocalis est quantitas discreta, quia quicquid ha-  
bet per se partes discretas extra partes est quā-  
titas discreta: atqui oratio vocalis habet per se  
partes discretas extra partes: ergo oratio voca-  
lis est quantitas discreta: probatur minor quic-  
quid habet per se durationes syllabarum dis-  
cretas extra alias durationes syllabarum, habet  
partes discretas &c. atqui oratio vocalis habet  
per se durationes discretas syllabarum, extra  
alias durationes syllabarum: ergo oratio voca-  
lis, habet per se partes discretas extra alias:  
minor patet exemplo hujus dictionis, homo,  
quæ habet durationem soni prioris syllabæ,  
extra durationem soni posterioris syllabæ, si-  
cūt enim soni hujusmodi syllabarum sunt dis-  
creti, ita durationes sonorum sunt discretæ:  
soni autem sunt discreti, quia percussionses  
aëris ex quibus oriuntur soni sunt discretæ. 2º.

oratio vocalis est distincta essentialiter à cæteris speciebus quantitatis , cum distinguatur ab illis per suam definitionem , quæ est *vox extensa secundum durationes syllabarum*.

Obijcitur 1°. Aristoteles l. 4. Metaph.c.13. commemorat species quantitatis , & tamen nullam facit mentionem orationis vocalis: ergo secundum Aristotelem oratio vocalis non est species quantitatis. Respondeo 1°. negando consequentiam à testimonio enim humano negatiuo nulla est necessaria consequentia, verbi gratia hæc consequentia non valet , Cicero nullam facit mentionem hujus vocis: ergo hæc vox non est Latina. Respondeo 2°. Aristotelem loco laudato non facere mentionem orationis vocalis explicitè , & in specie benè tamen implicitè & in genere , quia mentionem facit multitudinis , quæ est genus respectu numeri & orationis.

Obijcitur 2°. quantitas discreta habet partes discretas : atqui oratio vocalis non habet partes discretas : ergo oratio vocalis non est quantitas discreta : probatur minor quantitas quæ habet partes discretas , habet partes in diuersis subjectis : atqui oratio vocalis non habet partes in diuersis subjectis , sed in eodem subjecto , scilicet in aëre , qui non modo est

vetus, sed etiam continuus; ergo oratio vocalis non habet partes discretas. Respondeo negando minorem posterioris argumenti, & ad ejus probationem dico aërem posse concipi dupliciter, vel ut est naturaliter continuus, vel ut est diuisus per varias percussionses: dum enim homo loquitur percutit aërem, & percutiendo aërem discernit partes aëris, easque facit discretas, vnde ad argumentum, oratio vocalis habet partes in eodem subiecto, scilicet in aëre distinguo: si habeat partes in aëre quatenus est naturaliter vetus & continuus concedo: si habeat partes in aëre, quatenus est discretus per varias percussionses ortas ab ore animalis, nego: oratio autem vocalis habet partes suas in aëre ut discreto per ejusmodi percussionses.

Obijcitur 3°. omnis quantitas habet pro principio punctum, vel unitatem: atqui oratio vocalis, neutrum habet pro principio: ergo oratio vocalis non est quantitas: minor patet, 1°. non habet punctum pro principio suo, quia sola quantitas continua, habet punctum pro suo principio, 2°. non habet unitatem pro principio, quia solus numerus habet unitatem pro principio. Respondeo orationem vocalem habere unitatem pro principio, ad incommodum

dum vero dico vnitatem duplicitate concipi, vel simpliciter ut est vnitatis, vel secundum quid, ut est vnitatis durationis syllabæ, vnde pater solum numerum habere vnitatem sumptam simpliciter, pro principio, orationem vero vocalem habere vnitatem durationis syllabæ pro principio.

## QVÆSTIO XI.

*Vtrum dentur relationes reales.*

**A**D E O tenuem habet entitatem relatio  
ut Philosophi dum vocant substantiam  
*ens*: accidens vero *ens entis*: solent nominare  
relationem *entis ens ad ens*. Hinc adeò est cur  
nonnulli Philosophi dubitauerint an dentur  
relationes reales, nos vero huic quæstioni res-  
pondentes auctoriter affirmamus dari relationes  
reales, & sententiam nostram probamus se-  
quentibus argumentis.

1º. Paternitas est relatio, atqui paternitas  
existit à parte rei: ergo relatio existit à parte  
rei, ac proinde datur relatio realis: probatur  
minor, aliquis homo est pater à parte rei, &  
nemine cogitante: ergo paternitas est à parte  
rei.

Z

2°. Similitudo est relatio, atqui similitudo est à parte rei: ergo relatio est à parte rei: probatur minor, vbi sunt similia ibi est similitudo: atqui dantur similia à parte rei: ergo datur similitudo à parte rei: probatur minor, duo oua sunt similia à parte rei, scilicet in albedine: ergo dantur similia à parte rei.

Obijcitur 1°. relatio non est ens reale: ergo non dantur relationes reales: probatur antecedens, nullum ens rationis est ens reale: atqui omnis relatio est ens rationis: ergo nulla relatio est ens reale: probatur minor, quicquid existit per intellectum tantum est ens rationis, atqui relatio existit per intellectum tantum: ergo relatio est ens rationis: probatur minor, omnis comparatio, ut potè actio mentis conseruentis unum cum alio, existit per intellectum tantum: atqui omnis relatio est comparatio cum relatio sit actus mentis referentis unum ad aliud: ergo omnis relatio existit per intellectum tantum. Respondeo 1°. negando majorem penultimi argumenti, nam habitus mentis existunt per intellectum tantum, quis tamen dixerit habitus mentis esse entia rationis? Conceptus mentis existunt per intellectum tantum, quis tamen negauerit conceptus mentis esse entia realia? Si tamen libeat licet distinguere ma-

jorem, quicquid existit per intellectum tantum est ens rationis distinguo: si existat objectiuè tantum per intellectum concedo: si existat subjectiuè, vel effectiuè, id est si existat per intellectum tanquam per subjectum, vel tanquam per causam efficientem nego. Respondeo 2°. negando minorem, relatio enim non est comparatio, siue non est actus mentis referentis vnum ad aliud, sed est habitudo, vel ordo vnius ad aliud, ac proinde est fundamentum comparationis, sed non est ipsa comparatio.

Obijcitur 2°. omne ens reale adueniens subjecto infert mutationem realem subjecto, atqui relatio adueniens subjecto, non infert mutationem realem subjecto: ergo relatio non est ens reale: probatur minor, nam quando paternitas aduenit Petro, Petrus non mutatur realiter. Respondeo 1°. distinguendo subjectum majoris, omne ens reale adueniens subjecto mutat realiter subjectum distinguo: omne ens reale absolutum concedo: omne ens reale siue absolutum siue relativum nego. Relatio autem non est ens reale absolutum. Respondeo 2°. distinguendo attributum majoris omne ens reale adueniens subjecto mutat realiter subjectum distinguo: vel mutatione reali Physica & sensibili, vel mutatione reali Metaphysica, &

intelligibili concedo : mutatione reali Physica nego : relatio autem non mutat quidem subiectum mutatione reali Physica & sensibili , illud tamen mutat mutatione reali Metaphysica , quandoquidem per paternitatem aduenientem de nouo Petrus transit à non esse Patris ad esse Patris.

Obijcitur vltimò relatio non est ens , ergo non est ens reale : probatur antecedens omne ens est absolutum , vel relatiuum : atqui relatio neutrum est : ergo non est ens : minor probatur ; 1° . relatio non est ens absolutum , quia relatio & ens absolutum opponuntur ; 2° . non est relatiua , quia omne relatiuum habet relationem , atqui relatio non habet relationem : ergo relatio non est relatiua. Respondeo distinguendo majorem omne ens est absolutum vel relatiuum , vel relatio concedo : est absolutum , vel relatiuum nego : sicut enim omne ens finitum est in loco præter ipsum locum , ita omne ens est absolutum vel relatiuum præter ipsam relationem.



## QVÆSTIO XII.

*Vtrum detur supremum genus in categoria relationis.*

**N**ON sine causa disputant Philosophi vtrum detur genus supremum in categoria relationis, quia hoc argumento videtur probari, non dari supremum genus, si daretur supremum genus, illud genus supremum esset, nō relatum: atqui relatum non est genus supremum: ergo non datur supremum genus: minor probatur, relatum non est genus supremum, quia vel relatum referretur ad terminum sibi superiorem, vel sibi inferiorem, vel sibi æqualem: atqui nullum dici potest: ergo relatum non est genus supremum: probatur minor per partes; 1°. non refertur ad terminum sibi superiorem, quia cum sit genus supremum non habet terminum sibi superiorem, saltem vniuocum & essentialiem, 2°. relatum non refertur ad terminum sibi inferiorem, quia si referretur ad terminum sibi inferiorem posset prædicari essentialiter, & in recto de suo termino: atqui relatum non prædicatur essentialiter.

liter, & in recto de suo termino, verbi gratia Pater non prædicatur essentialiter & in recto de filio, dicendo filius est pater: ergo relatum non refertur ad terminum sibi inferiorem, ratio consequentiæ majoris est, quia omne superius in prædicamento prædicatur essentialiter, & in recto de suo inferiori; 3°. non refertur ad terminum sibi æqualem, quia tunc relatum & ejus terminus forent duo suprema genera quare videtur vel duo esse suprema genera, vel nullum esse supremum genus. Nos tamen quæstioni respondentes affirmamus dari supremum genus, scilicet relationem in abstracto, non verò relationem in concreto siue relatum, quia relatum ut potè concretum est ens per accidens, & non est in prædicamento, relationē verò in abstracto esse genus supremum hujus prædicamenti, probatur argumento sequenti.


Quod prædicatur de omnibus speciebus relationis in quid est supremum genus in categoria relationis: atqui relatio in abstracto prædicatur de omnibus speciebus relationis: ergo relatio in abstracto est supremum genus in categoria relationis: minor patet nulla enim est species relationis, de qua relatio in communi non possit prædicari in quæstione quid.

Obijcitur 1°. omnis relatio habet corelatio-

nem siue relationem sibi correspondentem : atqui relatio in communi est relatio : ergo relatio in communi habet correlationem siue relationem sibi correspondentem , ac proinde duo erunt suprema genera , scilicet relatio & correlatio. Respondeo distinguendo majorem, omnis relatio habet correlationem , distinguo: omnis relatio sumpta Physicè , & in concreto concedo : sumpta Logicè & in abstracto, nego: relatio enim sumpta Logicè est quædam ratio communis omnibus relationibus & correlationibus: relatio autem in communi est relatio sumpta Logicè & in abstracto.

Obijcitur 2°. omnis relatio refert suum subjectum ad terminum : atqui relatio in communi est relatio : ergo relatio in communi refert subjectum ad terminum , ac proinde relatio in communi reperitur inter duos terminos quorum unus refertur ad alium , & sic duo sunt suprema genera , scilicet illi duo termini. Respondeo omnis relatio refert subjectum ad terminum , distinguo: refert vel in actu secundo & exercito, vel in actu primo & signato , concedo : refert in actu secundo , & exercito semper, nego: relatio autem in communi refert subjectum ad terminum in actu primo tantū, cum habeat aptitudinem referendi, quam aptitudi-

nem exercet per relationes inferiores in quibus reperitur , vnde non sequitur relationem in communi habere duos terminos quorum unus referatur ad alium , quia hoc verum est tantum de relatione quæ est referens in actu secundo & exercito.



### QVÆSTIO XIII.

*Vtrum unum relatum referatur ad plures terminos unicâ relatione vel pluribus : sine utrum Pater referatur ad plures filios unica paternitate vel pluribus paternitatibus.*

**V**T QVÆSTIONEM præsentem clarius expediamus nonnulla nobis sunt prænotanda.

Notamus igitur 1°. unitatem specificam relationis desumi ab ejus fundamentis & terminis , ita ut illæ relationes differant specie , quarum fundamenta , vel termini differunt specie , ita verbi gratia relatio similitudinis parietis albi , cum alio pariete albo , distinguitur specie à relatione similitudinis quæ est inter duos parietes nigros , quia fundamenta ejusmodi relationum , scilicet albedo , & nigredo , differunt specie .

Notamus 2°. unitatem & distinctionem numericam rel. desumi etiam à fundamentis & terminis, adeò ut illæ relationes distinguantur numero, quarum fundamenta ( scilicet proxima ) differunt numero, vel quarum termini differunt numero, ita verbi gratia relatio paternitatis quam habet Petrus ad suum filium primogenitum, distinguitur numero à relatione paternitatis, quam habet Petrus ad filium secundogenitum: quia fundamenta proxima ejusmodi paternitatum, scilicet actiones generandi, differunt numero, earum etiam termini scilicet filius primogenitus & filius secundogenitus differunt numero: his prænotatis, respondemus quæstioni negatiuè, negamus scilicet Patrem referri ad plures filios unica relatione, contra vero probamus Patrem referri ad plures filios pluribus relationibus siue pluribus paternitatibus.

1°. Vbi multiplicantur termini, ibi multiplicantur relationes; atqui quando Pater referatur ad plures filios, ibi multiplicantur termini: ergo ibi etiam multiplicantur relationes, ratio majoris est quia relatio specificatur à termino, ac proinde unitatem, & distinctionem desumit à termino.

2°. Si Pater referretur ad plures filios una

& eadem numero paternitate , moriatur primogenitus , vel tollitur eadem numero paternitas , quæ erat antea: vel remanet , si tollitur: ergo erit aliorum filiorum Pater sine paternitate ( quod est absurdum ) si remaneat eadem numero paternitas , vel remanet eadem numero completa , vel incompleta , neutrum dici potest : ergo non remanet eadem numero: probatur minor per partes ; 1°. non remanet eadem numero completa , quia si remanet eadem numero completa , pater nullam amisit relationem ( quod est falsum ) cum enim ejus filius primogenitus mortuus sit , necessariò amisit relationem ad eum : secundò non remanet eadem numero incompleta , quia illa relatio incompleta foret ens incompletum , ac proinde , non contineretur in linea recta categorica relationis in qua certum est eam contineri .

Obijcitur 1°. plura accidentia ejusdem speciei , numero diuersa , non possunt esse in eodem subjecto , verbi gratia plures albedines numero diuersæ non sunt in eodem Petro: atqui plures paternitates sunt plura accidentia eiusdem speciei numero diuersa : ergo plures paternitates non possunt esse in eodem numero subiecto , ac proinde idem numero homo,

non refertur ad plures filios per plures paternitates. Respondeo distinguendo majorem plura accidentia ejusdem speciei numero diuersa , non sunt in uno & eodem numero subiecto, distinguo: si sint accidentia absoluta, concedo: si sint accidentia relativa , nego : plures autem paternitates sunt plura accidentia relativa , ratio discriminis est , quia accidens absolutum desumit unitatem & distinctionem numericam à subiecto tantum , vnde de accidentibus absolutis valet illud actio ma *accidentia numerantur ad numerum subiectorum* : accidens vero relatiuum cum habeat essentiam positam in ordine ad terminum, accipit unitatem & distinctionem numericam à termino , vnde de accidentibus relatiuis , potest dici: accidentia numerantur ad numerum terminorum.

Obijcitur 2°. & vltimò qui refertur ad plures filios per plures paternitates habet plures paternitates: atqui unus & idem numero homo non habet plures paternitates : ergo unus & idem numero homo non refertur ad plures filios per plures paternitates : probatur minor , in uno & eodem numero homine, non sunt plures paternitates : ergo unus & idem numero homo, non habet plures paternitates: probatur antecedens , vbi sunt plures paternitates , ibi sunt

plures Patres : atqui in eodem numero homine non sunt plures Patres , neque unus & idem numero homo potest dici plures Patres : ergo in uno & eodem numero homine non sunt plures paternitates. Respondeo 1°. negando maiorem ultimi argumenti , nam ad multiplicacionem concreti , non tantum requiritur multiplicatio formæ quæ est in subjecto , sed etiam necessaria est multiplicatio subjecti , verbi gratia ut multiplicentur docti , non sufficit multiplicitas doctrinæ , sed præterea requiritur multiplicitas numerica subjecti scilicet hominis. Respondeo 2°. retorquendo argumentum , vbi sunt plures scientiæ , ibi sunt plures scientes: atqui in Petro , sunt plures scientiæ: ergo in Petro sunt plures scientes , vel Petrus est plures scientes quam conclusionem non admittent adversarij. Postremò respondere poteris ad maiorem cum hac distinctione , vbi sunt plures paternitates , ibi sunt plures Patres , distinguo: ibi sunt plures Patres vel saltem est aliquis qui est pluries Pater , concedo , ibi sunt semper plures Patres , nego.



## QVÆSTIO XIV.

Quænam requirantur ad constituendam relationem  
categoricam, & quomodo differat à relatione  
transcendentali.

In QVÆSTIONE præsenti duo nobis inuesti-  
ganda proponimus; 1º. quænam requirantur  
ad constitutionem relationis categoricæ.

Afferimus igitur multa requiri ad constituendam relationem; 1º. *subjectum inhestonis* (scilicet substantiam) quia relatio est accidens, ac proinde more accidentium necessariò est in aliquo subjecto: 2º. requiritur *relatum* siue terminus qui refertur quia cum relatio sit accidens relativum siue referens vnum ad aliud necesse est ut detur terminus qui referatur; 3º. desiderantur *fundamenta*, scilicet remotum & proximum quia necessariò requiruntur causæ productiæ relationis, fundamenta autem relationis sunt ejus causæ productiæ; 4º. & ultimò requiritur *terminus ad quem*, quia cum relatio sit essentialiter referens vnum ad aliud præter terminum qui refertur, exigit alium terminum ad quem referatur ille terminus qui dicitur referri,

vbi aduerte terminum ad quem relationis, concipi duplēm, à Philosophis vnum *materialem*, alterum *formalem*: materialis est res quæ dicitur terminus, formalis est eadem res quatenus habet rationem formalem termini. Vniuersam hanc doctrinam illustramus exemplis sequentibus. Ad constituendam verbi gratia paternitatem; 1°. opus est substantia, ( scilicet homine ) tanquam ejus subjecto; 2°. requiritur terminus qui referatur scilicet Pater; 3°. necessaria sunt fundamenta paternitatis tum remotum tum proximum: remotum est potentia generandi, proximum est actio generandi; 4°. & vltimò requiritur terminus ad quem tum materialis, tum formalis: materialis scilicet alter homo genitus, formalis scilicet alter ille homo qua filius.

2°. Hic queritur quomodo distinguitur relatio categorica à transcendentali ad cuius quæstionis solutionem: dicimus relationem categoricam distingui in multis à relatione transcendentali; 1°. relatio transcendentalis est de essentia sui fundamenti, verbi gratia relatio scientiæ ad scibile est de essentia scientiæ, relatio verò categorica non est de essentia sui fundamenti, verbi gratia relatio similitudinis non est de essentia albedinis: ex qua differentia

oritur hæc secunda distinctio , relatio transcendentalis est prior suo fundamento , non verò categorica . 3° . relatio transcendentalis respicit aliud , vel tanquam subiectum , vel tanquam objectum , vel tanquam causam , vel tanquam effectum , ita ut denotet actionem , vel passionem circà terminum , relatio verò categorica purè respicit aliud tanquam merum terminum nullam denotans actionem , vel passionem circà illum . 4° . relatio transcendentalis non requirit necessariò terminum actu existentem , ita relatio scientiæ non requirit necessariò objectum existens : cum de ente non existenti detur vera scientia . Postremò relatio transcendentalis includitur essentialiter in quantitate qualitate , &c . Idcirco non constituit prædicamentum distinctum ab illis : relatio verò categorica includitur in quantitate , qualitate , accidentariò tantum vnde rectè docetur hanc relationem constituere prædicamentum diuersum ab illis .



## QVÆSTIO XV.

*Verum relatio distinguatur realiter à suo fundamento.*

**S**VPR A diximus fundamentum requiri ad constituendam relationem nunc faciente Deo videbimus quomodo relatio distinguatur à suo fundamento.

Notamus igitur 1º. omnem relationem fundari, vel in substantia, vel in quantitate, vel in qualitate, vel in actione & passione: relatio identitatis fundatur in substantia: relatio æqualitatis vel inæqualitatis fundatur in quantitate: relatio similitudinis vel dissimilitudinis fundatur in qualitate, relatio vero paternitatis vel filiationis fundatur in generazione actiuâ vel passiuâ: hîc non agitur de relatione fundatâ in actione vel passione non quæritur *verum* relatio paternitatis distinguatur realiter ab actione generandi necne? Nam certum est paternitatem distingui realiter ab actione generandi: ut probatur hoc argumento quod à longo tempore non existit, distinguatur realiter ab eo quod jam existit: atqui actio generandi

generandi à longo tempore non existit , paternitas vero jam existit : ergo actio generandi differt realiter à paternitate : h̄c igitur disputamus de relatione quæ fundatur in substantiâ , vel in quantitate , vel in qualitate , vtrum scilicet relatio identitatis distinguatur realiter à substantia necne ? Vtrum relatio similitudinis fundata in qualitate distinguatur realiter à qualitate necne ? &c.

Notamus 2º. relationem fundatam in substantia , quantitate , vel qualitate , habere duplex fundamentum vnum remotum , alterum proximum : fundamentum remotum *ejusmodi* relationis est ipsa substantia , vel ipsa quantitas , vel ipsa qualitas : fundamentum proximum illius relationis est unitas vel diuersitas substantiæ : unitas vel diuersitas quantitatis : unitas vel diuersitas qualitatis : verbi gratia relatio similitudinis quæ est inter duos parietes albos habet duplex illud fundamentum: albedo scilicet est ejus fundamentum remotum: unitas vero albedinis ejus est fundamentum proximum: cum ex unitate albedinis in utroque pariete sequatur statim similitudo inter illos parietes , unde non sine ratione docent Philosophi ea necessariò esse similia quorum una est qualitas : præmissa hac distinctione fundamenti dicimus quæstio-

nem esse vtrum relatio distinguatur realiter à fundamento siue remoto siue proximo: cui quæstioni respondemus negatiuè, negamus scilicet relationem differre realiter à suo fundamento & sententiam nostram probamus his argumentis.

1°. Similitudo est relatio: atqui similitudo non est ens distinctum realiter à suo fundamento: ergo relatio non est ens distinctum realiter à suo fundamento: probatur minor, albedo est fundamentum similitudinis: atqui similitudo non est ens distinctum realiter ab albedine: ergo similitudo non est ens distinctum realiter à suo fundamento: probatur minor, si similitudo esset ens distinctum realiter ab albedine, duo alba essent similia per entitatem realiter à seipsis distinctam (cum forens similia per similitudinem quam aduersarij volunt esse ens realiter distinctum ab albedine) atqui falsum posterius: ergo & prius: probatur minor, duo alba sunt similia per suam propriam entitatem: ergo non sunt similia per entitatem realiter à seipsis distinctam: probatur antecedens, quæ sunt per se & sine vlo addito similia, sunt per suam entitatem similia: atqui duo alba sunt per se & sine vlo addito similia: ergo duo alba sunt per suam entitatem similia: probatur mi-

nor, quæ habet vnam & eandem qualitatem sunt similia: quia axioma philosophorum est *similia dicuntur ea quorum una est qualitas*: atqui duo alba per se & sine ullo addito habent vnam & eandem qualitatem, scilicet unam & eandem albedinem: ergo duo alba sunt per se & sine ullo addito similia.

2º. Relatio non est ens distinctum realiter à fundamento: ergo est idem realiter cum fundamento: probatur antecedens, omne ens finitum distinctum realiter à fundamento, per se habet causam sui productiuam diuersam à causa productiuâ fundamenti: atqui *relatio non habet* per se causam sui productiuam diuersam à causa productiuâ fundamenti: ergo relatio non est ens finitum distinctum realiter à fundamento: probatur minor, relatio non habet per se causam sui productiuam: ergo non habet causam sui productiuam diuersam à causa productiuâ fundamenti: probatur antecedens, similitudo est relatio: atqui similitudo non habet per se causam sui productiuam: ergo relatio non habet causam sui productiuam: probatur minor, in medium allata hac suppositione unus paries fiat albus in ultima Thule, & decem abhinc annis alter paries fiat albus in Prasso Æthyopiæ promontorio, quod tota la-

titudine terræ distat ab vltima Thule , quo mo-  
mento paries fit albus in illo promontorio, pro-  
ducitur similitudo in pariete qui existit in vlti-  
ma Thule: atqui hæc similitudo non habet cau-  
sam sui productiuam : ergo similitudo non ha-  
bet causam sui productiuam : probatur antece-  
dens, si hæc similitudo haberet causam sui pro-  
ductiuam , illa causa productua foret , vel ille  
qui dealbauit decem abhinc annis parietem  
in vltima Thule , vel ille qui nunc dealbat pa-  
riitem in illo promontorio Æthyopiæ , atqui  
neutrum dici potest: ergo hæc similitudo non  
habet causam sui productiuam: probatur minor  
per partes ; 1°. ille qui dealbauit parietem de-  
cem abhinc annis non producit hoc tempore  
ejusmodi similitudinem , quia suppono eum  
mortuum esse intra decem illos annos ( quod  
est naturaliter possibile ; ) 2°. ille qui hodie  
dealbat in ejusmodi promontorio non producit  
similitudinem in pariete existente in vltima  
Thule , cum distet ab illo pariete tota latitudi-  
ne mundi.

3°. Omne ens distinctum realiter à funda-  
mento , vel est ejusdem , vel diuersæ essentiæ  
cum fundamento, atqui relatio neque ejusdem,  
neque diuersæ est essentiæ cum fundamento:  
ergo relatio non est ens realiter distinctum à

fundamento : probatur minor , quicquid est ejusdem vel diuersæ essentiæ cum fundamento habet relationem identitatis , vel diuersitatis cum fundamento : atqui relatio neque habet relationem identitatis , neque habet relationem diuersitatis cum fundamento: ergo relatio neque est ejusdem , nec est diuersæ essentiæ cum fundamento : minor probatur , nam si relatio habeat relationem identitatis vel diuersitatis , de illa relatione quæro vtrum sit ens distinctum realiter à fundamento necne ? Si non sit ens distinctum realiter à fundamento habeo intentum : si sit ens distinctum realiter à fundamento , quæro adhuc vtrum sit ejusdem vel diuersæ essentiæ cum fundamento , si sit ejusdem vel diuersæ essentiæ cum fundamento , habet relationem identitatis vel diuersitatis cum fundamento , de quæ relatione quæram adhuc vtrum sit ens distinctum realiter à fundamento necne ? Et sic dabitur progressus in infinitum à quo abhorret recta ratio : concludimus igitur relationem & fundatum non distingui realiter : sed formaliter tantum : vt probatur hoc argumento , similitudo est relatio & albedo est ejus fundatum: atqui similitudo & albedo differunt formaliter : ergo relatio & ejus fundatum differunt formaliter : probatur minor ,

quæ differunt essentialiter differunt formaliter: atqui relatio & fundamentum distinguntur essentialiter: ergo relatio & fundamentum distinguntur formaliter: minor patet, nam essentia similitudinis est accidens quo simile refertur ad aliud sibi simile: essentia vero albedinis est color visum disgregans.

Obijcitur 1º. substantia & accidens differunt realiter: atqui fundamentum & relatio sunt substantia & accidens, verbi gratia Petrus qui est fundamentum paternitatis est substantia & paternitas, (quæ est relatio) est accidens: ergo fundamentum & relatio differunt realiter. Respondeo 1º. negando majorem vniuersaliter sumptam nam ignis est substantia & calor ejus accidens, ignis tamen & calor non differunt realiter. Respondeo 2º. distinguendo majorem, substantia & accidens differunt realiter, dicitur: substantia & accidens Physicum, concedo: substantia & accidens Logicum, nego. Respondeo 3º. argumentum concludere relationem fundatam in actione distinguiri realiter à fundamento: non vero concludit relationem differre realiter, à quantitate, vel qualitate, hic autem agitur de relatione fundata in quantitate, vel qualitate, (vt supra obseruatum fuit) non de relatione fundata in actione.

Obijcitur 2°. ea quorum dum vnum decreſcit, aliud crescit, diſtinguntur realiter: atqui relatio & fundamentum ſunt ejusmo-  
di: ergo relatio & fundamentum diſtinguntur  
realiter: probatur minor, ſint duo alba quo-  
rum vnum ſit album ut quatuor, & aliud ſit  
album ut duo, album ut quatuor fiat etiam  
album ut duo dum decreſcit albedo in sub-  
jecto quod erat album ut quatuor, crescit ſimi-  
litudo: ergo dum decreſcit fundamentum, ſci-  
licet albedo, crescit relatio, ſcilicet ſimilitu-  
do. Respondeo 1°. negando majorem, nam  
ea quorum dum vnum decreſcit, aliud crescit,  
non ſemper diſtinguntur realiter, ut patet eui-  
denter exemplo temporis & motus, cum mo-  
tus tardior fiat per minus ſpatium decreſcit  
motus, & crescit tempus, tamen motus & tem-  
pus non differunt realiter. Respondeo 2°.  
eandem ſimilitudinem non fieri majorem, ac  
proinde non crescere, ſed oritur noua ſimili-  
tudo, quæ major est quam illa quæ erat antea,  
& quæ diſtinguitur numero à priori, nam ubi  
non manet idem numero terminus, ibi non  
manet eadem numero relatio.

Obijeit 3°. quæ differunt plusquam rea-  
liter, differunt ſaltem realiter: atqui relatio  
& fundamentum differunt plusquam realiter:

ergo relatio & fundamentum , differunt saltem  
realiter : probatur minor , quæ differunt , plus-  
quam ea quæ differunt realiter , differunt plus-  
quam realiter : atqui relatio & fundamentum ,  
differunt plusquam ea quæ differunt realiter:  
ergo relatio & fundamentum differunt plus-  
quam realiter : probatur minor , duæ albedines  
numero diuersæ , differunt realiter : atqui rela-  
tio & fundamentum differunt plusquam duæ  
albedines : ergo relatio & fundamentum , dif-  
ferunt plusquam ea quæ differunt realiter: pro-  
batur minor , ens relativum , & ens absolutum  
differunt plusquam duo entia absoluta : atqui  
relatio & fundamentum sunt ens relativum , &  
ens absolutum , duæ vero albedines sunt entia  
absoluta : ergo relatio & fundamentum , diffe-  
runt plusquam duæ albedines. Respondeo ad  
majorem secundi argumenti , cum hac distin-  
ctione , quæ differunt plusquam ea quæ diffe-  
runt realiter , differunt realiter , distinguo:  
si plus differant in genere distinctionis rea-  
lis , concedo : si plus differant in alio genere  
distinctionis , scilicet in genere distinctionis  
formalis , nego : relatio autem & fundamen-  
tum , differunt plusquam duæ albedines , &  
duo entia absoluta in genere distinctionis for-  
malis , siue Metaphysicæ , sed non in genere

distinctionis realis , vel Physicæ : vel vt alijs  
vtar terminis relatio & fundamentum plus dif-  
ferunt quam duæ albedines in ratione essendi,  
sed non in ratione existendi , cum relatio &  
fundamentum non habeant eandem speciem,  
neque idem genus , sicut duæ albedines.

Obijcitur 4°. quæ realiter opponuntur  
distinguntur realiter , atqui relatio & fun-  
damentum realiter opponuntur : ergo relatio  
& fundamentum distinguntur realiter : proba-  
tur minor , ea quorum vnum est realiter rela-  
tiuum , & aliud absolutum , opponuntur realiter : atqui relatio & fundamentum sunt ejus-  
modi : ergo relatio & fundamentum opponun-  
tur realiter : minor patet , similitudo enim quæ  
est relatio est realiter ens relativum : & albedo  
quæ est ejus fundamentum est ens realiter ab-  
solutum. Respondeo distinguendo majorem ,  
quæ opponuntur realiter distinguntur realiter ,  
eodem modo quo opponuntur realiter , conce-  
do: alio, nego: relatio autem & fundamentum  
opponuntur realiter Metaphysicè , sed non  
realiter Physicè , ac proinde distinguntur rea-  
liter Metaphysicè ( quod concedimus , ) sed  
non distinguntur realiter Physicè vt volunt ad-  
uersarij.

Obijcitur 5°. & vltimò quæ possunt separari

realiter differunt realiter: atqui relatio & fundamen-  
tum possunt separari realiter: ergo relatio & fundamen-  
tum differunt realiter: minor probatur, vnuſ paries albus amittit realiter si-  
militudinem quam habebat cum altero pariete  
albo, si alter paries albus deſtruatur: ac proin-  
de similitudo quæ eſt relatio separatur realiter  
à ſuo fundamento, ſcilicet ab albedine. Res-  
pondeo 1° negando majorem, nam cæcitas  
separatur realiter ab oculo quando ei per po-  
tentiam ſupernaturalem Dei reſtituitur viſus,  
cæcitas tanien non diſſert realiter ab oculo,  
ſiue non eſt res diuersa ab oculo: non eſt autem  
res diuersa ab oculo, cum cæcitas non ſit res,  
ſed priuatio rei, ſcilicet viſus. Respondeo 2°  
ad majorem cum hac diſtinzione, quæ poſſunt  
ſeparari realiter, diſtinguntur realiter, diſtin-  
guo, quæ poſſunt ſeparari realiter poſitiuē, id  
eſt manendo poſt separationem, concedo: quæ  
poſſunt ſeparari realiter negatiuē, id eſt non  
manendo poſt separationem, nego: relatio au-  
tem ſeparatur à ſuo fundamento realiter nega-  
tiuē, cum non maneat poſt separationem, ver-  
bi gratia ſimilitudo non manet poſt ſui ſepa-  
rationem ab albedine. Respondeo 3° relatio-  
nem ſeparari à ſuuo fundamento ſecundum forma-  
litatem, ſed non ſecundum entitatem, ſiue

secundum rationem ad , vel secundum conno-  
tationem termini , non verò separatur secun-  
dum entitatem Physicam quam habet , siue se-  
cundum rationem inhærendi ; vnde sequitur  
relationem distingui à fundamento secundum  
formalitatem , vel formaliter , sed non secun-  
dum entitatem , vel entitatem : hic quæri po-  
test , vtrum vna relatio possit esse fundamen-  
tum alterius : cui quæstiōni soluenda . Respon-  
deo vnam relationem non posse esse funda-  
mentum alterius relationis sibi similis in spe-  
cie , verbi gratia vna similitudo , non potest  
esse fundamentum alterius similitudinis , quia  
si esset fundamentum alterius similitudinis , si-  
militudo esset similis , quod absurdum est , nam  
certum est axioma philosophorum , *id quo cæterā  
omnia dicuntur talia , non dicitur tale* , similitudo  
autem est id quo omnia dicuntur similia , quare  
ipsa similitudo , neque est , neque dici potest  
similis : nihilominus audacter pronuntiamus ,  
vnam relationem posse esse fundamentum al-  
terius sibi dissimilis in specie , verbi gratia pa-  
ternitas est fundamentum relationis identita-  
tis quam habet cum alia paternitate , cum  
duæ paternitates sint ejusdem essentiæ specifi-  
cæ , vbi aduerte in transcurso errorem multo-  
rum de cætero doctissimorum , dum docent

vnam paternitatem esse fundamentum similitudinis , quam habet cum alia paternitate , nam cum similitudo conueniat soli qualitati , non potest fundari in paternitate , quæ non est qualitas , sed relatio : dices si vna relatio , est fundamentum alterius sibi dissimilis in specie , dabitur progressus in infinitum , verbi gratia si vna paternitas est fundamentum identitatis quam habet cum alia paternitate , illa identitas quæ est relatio , erit fundamentum alterius relationis & sic in infinitum . Respondeo 1°. posse concedi progressum in infinitum in relationibus citra magnum incommodum , nam si magnitudo est diuisibilis in infinitas partes , dari possunt infinitæ relationes partium ad totum , neque propterea euertitur ordo naturæ , quia relatio non est ens distinctum realiter à suo fundamento . Respondeo 2°. negando dari progressum in infinitum , quia tandem contingit , vt fundamentum & relatio cuius est fundamentum sint planè idem , verbi gratia identitas erit fundamentum identitatis , quam habet cum alia identitate , &c.



## QVÆSTIO XVI.

Vtrum habitus & dispositio differant specie.

**V**T H A N C vltimam quæstionem de prædicamentis , clarius pertractemus .

Notamus 1°. vocem habitus esse ambiguam ; 1°. enim significat formam substantialem , ita sumitur apud Physicos , dum docent , priuationem & habitum esse prima contraria ; 2°. habitus ponitur pro circumpositione substantiæ corporeæ , circà corpoream , quo sensu constituit vltimum prædicamentum ; 3°. significat qualitatem venientem ab extrinseco , & quæ facit subjectum aptum ad facile , & promptè exercendos actus , & in hac significatione nunc sumitur .

Notamus 2°. vocabulum dispositionis esse etiam æquiuocum , sæpè enim ponitur ; 1°. pro ordine partium corporis in loco , vndè dicimus corpus Petri esse hoc vel illo modo dispositum ; 2°. dispositio significat qualitatem materialem , quæ disponit materiam ad recipiendam formam , & ita sumitur in Physica dum dicitur , posita vltima dispositione in materia ponitur

forma : postremò dispositio sumitur pro qualitate , aduentitia , quæ disponit subiectum ad facile exerceendos actus , & in hac significacione nunc usurpatur .

Notamus 3° . & ultimò aliquid esse facile mobile , vel difficile mobile duobus modis , scilicet vel ex naturâ suâ : vel ex accidente , scilicet ob talem conditionem subjecti , verbi gratia opinio est ex naturâ suâ facile mobilis , cum pendeat ex principiis incertis & probabilitibus , attamen opinio est aliquando difficile mobilis per accidens talis conditionis subjecti , siue hominis , qui tenax est & pertinax : scientia est ex naturâ suâ difficile mobilis , cum pendeat ex principijs certis & necessarijs , nihilominus aliquando est facile mobilis per accidens , superuenientis alicujus morbi , vel subitæ alicujus obliuionis , ut de quibusdam narrat historia : his prænotatis respondemus quæstioni negatiuè , negamus scilicet habitum & dispositionem , differre specie , & sententiam nostram probamus sequentibus argumentis .

4° . quæ differunt tanquam perfectum & imperfectum tantum , siue secundum magis & minus sunt idem specie , verbi gratia calor ut octo , & calor ut quatuor , sunt idem specie : atque habitus & dispositio differunt tanquam

perfectum & imperfectum tantum: ergo habitus & dispositio sunt idem specie: minor patet, nam sicut puer est homo imperfectus, homo vero est puer perfectus, ita dispositio, est habitus imperfectus, & habitus est dispositio perfecta, adeo ut una & eadem scientia quando est in statu imperfecto & inchoatiuo, dicatur dispositio, quando vero est in statu perfecto, dicatur habitus. Respondent aduersarij, distinguendo majorem, quae differunt tanquam perfectum, & imperfectum sunt idem specie, distingunt, si illud perfectum, & imperfectum reperiantur intra eandem speciem concedunt: si reperiantur intra diuersas species, negant: volunt autem habitum & dispositionem differre tanquam perfectum & imperfectum, quae reperiuntur intra diuersas species. Insto 1°. quænam est ista responsio? Quæ differunt tanquam perfectum & imperfectum tantum sunt idem specie distingunt: si reperiantur intra eandem speciem concedunt: si reperiantur intra diuersas species negant: quænam inquam est ista responsio, nonne dicunt quæ differunt tanquam perfectum & imperfectum tantum esse idem specie, si sint idem specie, nam esse intra eandem speciem, & idem specie, coincidunt: & dum dicunt differre specie, si reperiantur

intra diuersas species , nonne dicunt differre specie , si differentant specie , nam differre specie , & esse intra diuersas species , in idem redeunt . Insto 2° . duæ species oppositæ , non differunt ut perfectum & imperfectum , quia quæ differunt per summam sui perfectionem non differunt ut perfectum & imperfectum : atqui species oppositæ differunt per summam sui perfectionem : ergo species oppositæ , non differunt ut perfectum , & imperfectum : probatur minor , quæ differunt per suas differentias essentiales & specificas differunt per summam sui perfectionem : atqui species oppositæ , differunt per suas differentias essentiales & specificas : ergo species oppositæ , differunt per summam sui perfectionem , ratiō majoris est quia differentia specifica est nobilior pars speciei , ac proinde quæ differunt tanquam perfectum & imperfectum tantum , sunt semper vna & eadem species , non verò duæ species oppositæ .

2° . Species oppositæ , differunt per differentias essentiales : atqui habitus & dispositio non differunt per differentias essentiales : ergo habitus & dispositio non sunt duæ species oppositæ : probatur minor , si habitus & dispositio different per differentias essentiales , nō difficilē mobile , & nō facile mobile , essent eorum diffe-

differentiae essentiales: atqui falsum posterius:  
ergo & prius: probatur minor per partes; 1°.  
*nō* difficile mobile non est differentia essentialis  
habitus, quia non conuenit soli habitui, cum  
conueniat patibili qualitati; 2°. *nō* facile mo-  
bile, non est differentia essentialis dispositio-  
nis, quia non conuenit soli dispositioni, sed  
etiam passioni.

Respondent aduersarij, aliquid esse difficile  
mobile, vel facile mobile duobus modis, vel  
ex naturâ suâ, vel ex accidente, ob hanc vel  
illam dispositionem subjecti: præmissa hac di-  
stinctione, dicunt *nō* difficile mobile ex naturâ  
suâ esse differentiam essentialem habitus, *nō* fa-  
cile etiam mobile, ex naturâ suâ esse differen-  
tiā essentialē dispositiōnis, & *nō* difficile  
mobile, vel *nō* facile mobile, ex naturâ suâ non  
conuenire patibili qualitati, vel passioni: nam  
patibilis qualitas est difficile mobilis, & passio  
est facile mobilis tantum per accidens ob ta-  
lem conditionem subjecti: Insto, atqui habitus  
est difficile mobilis & dispositio est facile mo-  
bilis ob conditionem subjecti tantum: ergo  
nulla solutio: probatur antecedens, exemplo  
cognitionis hujus conclusionis, *omnis homo*  
*est risibilis*, quæ acquiritur per istas propositio-  
nes, *omne rationale est risibile*, *omnis homo est*

rationalis : nam quæro , cur cognitio hujus conclusionis sit facile mobilis ab eo qui non callet demonstrationem , sit verò difficile mobilis ab eo qui callet demonstrationem : non potest dici hanc cognitionem esse facile mobilem ab uno ex naturâ suâ , & difficile mobilem ab alio ex naturâ suâ , cum ejusmodi cognitio sit eadem in utroque , est enim in utroque cognitio ejusdem conclusionis , acquisita per eadem principia : est verò facile mobilis ab uno , & difficile mobilis ab alio , quia unus non callet demonstrationem , aliis verò eam callet .

Obijcitur 1º. habitus & dispositio non sunt una & eadem species : ergo sunt duæ species oppositæ : probatur antecedens , una & eadem species non habet proprietates oppositas : atqui habitus & dispositio habent proprietates oppositas : ergo habitus & dispositio non sunt una & eadem species : major patet , canis , verbi gratia non habet latrabilitatem & rugibilitatem , quæ sunt proprietates oppositæ : probatur autem minor non difficile mobile & non facile mobilis sunt proprietates oppositæ : atqui habitus & dispositio habent has proprietates : ergo habitus & dispositio habent proprietates oppositas : minor patet , cum habitus sit difficile :

mobilis, dispositio verò sit facile mobilis. Respondeo distinguendo majorem secundi argumenti, vna & eadem species non habet proprietates oppositas, distinguo; non habet proprietates quarto modo, oppositas concedo: & hoc probat argumentum: non habet proprietates primo, secundo, vel tertio modo, oppositas nego: nō difficile autem mobile non est proprietas quarto modo habitus, cum non conueniat soli habitui, sed etiam patibili qualitatis similiter nō facile mobile non est proprietas quarto modo, cum non conueniat soli dispositioni, sed etiam passioni: nō igitur difficile mobile & nō facile mobile non sunt proprietates quarto modo, sed sunt accidentia communia habitus & dispositionis.

Obijcitur 2º. & vltimò quæ distinguntur per differentias essentiales, distinguntur specie: atqui habitus & dispositio distinguntur per differentias essentiales: ergo habitus & dispositio distinguntur specie: probatur minor, nō difficile mobile & nō facile mobile sunt differentiae essentiales habitus & dispositionis: atqui habitus & dispositio distinguntur per nō difficile mobile & per nō facile mobile: ergo habitus & dispositio distinguntur per differentias essentiales: probatur major, differentiae sine quibus

habitus & dispositio, neque concipi, neque definiri possunt sunt illis essentiales: atqui non difficile mobile & non facile mobile sunt differentiae sine quibus habitus & dispositio, neque concipi, neque definiri possunt; 1°. enim habitus non potest concipi, neque definiri quin concipiatur & definiatur, qualitas aduentitia difficile mobilis, &c. 2°. dispositio non potest concipi & definiri, nisi concipiatur & definiatur qualitas aduentitia facile mobilis, &c. Respondeo negando non difficile mobile, & non facile mobile esse differentias essentiales habitus & dispositionis, & consequenter negamus minorem ultimi argumenti, habitus enim potest concipi & definiri absque quod concipiatur difficile mobilis &c. recte enim concipio & definio habitum si eum concipiam & definiam qualitatem aduentitiam, quam subjectum est valde aptum ad facile exercendos actus: dispositio etiam potest concipi & definiri absque quod concipiatur & definiatur facile mobilis, dum concipitur & definitur, qualitas aduentitia quam subjectum est leuiser aptum ad facile exercendos actus.





QVÆSTIONES  
IN LIBRVM  
ARISTOTELIS  
DE  
INTERPRETATIONE.

---

PRÆFATIO.

**A**MPLA M illam textus commentatio-  
nem vtpotè hic superfluam rescindimus:  
quia in hoc libro Aristotleles considerat nomen,  
verbum, enuntiationem quæ omnia satis fusè  
à nobis explicata fuerunt in Compendio:  
vnum est tantum quod hic addemus scilicet

bunc librum inscribi de interpretatione non  
quatenus interpretatio significat alicujus que-  
stionis arduæ solutionem, sed quatenus vox  
interpretationis denotat signum externum  
conceptuum mentis nostræ: & non sine causa  
ita inscribitur cùm hic liber agat de interpre-  
tatione, qua simplici, qua complexa: scilicet  
de nomine, verbo, enuntiatione, quæ sunt  
signa conceptuum latentium in anima: que-  
stiones tantum in hunc librum proponemus &  
profligabimus: postea questio[n]es in quatuor  
libros Analyticos Aristotelis, scilicet in duos  
priores, & in duos posteriores Analytics  
ventilabimus & profligabimus: & tandem  
appendicem adiiciemus ubi de locis topicis lo-  
quemur: & haec omnia fauente Deo.



## QVÆSTIO I.

*Quid sit signum & quotuplex.*

 V A T V O R sunt quæ sibi necessaria subordinantur , scilicet res, conceptus , voces , scripturæ : res omnes conditæ sunt in utilitatem hominis : per conceptus homo loquitur cum seipso: per voces alios scilicet præsentes alloquitur : per scripturas verò loquitur cum absentibus : per conceptus sibi res repræsentat : per voces & scripturas alijs suos conceptus repræsentat: vndè patet res significari sed non significare , conceptus significare & significari , significant scilicet res , & significantur per voces , voces etiam significant & significantur ; significant scilicet conceptus , & signific. per scripturas , scripturæ vero significant , sed non significantur: ut igitur clare intelligamus an voces sint signa conceptuum & quænam signa sint ; nunc inquiremus quid sit signum & quotuplex.

Vocabulum signi duobus modis sumitur , scilicet vel latè & impropriè , vel strictè & propriè : latè sumtum denotat *id omne quod aliud à*

*se facultati cognoscenti repræsentat: quo sensu spe-*  
*cies coloris dicitur signum coloris, quia repræ-*  
*sentat visui aliud à se scilicet colorem, & hoc*  
*signum solet nominari signum formale: signum*  
*strictè & propriè sumptum, est illud quod seip-*  
*sum sensibus & aliud à se animo representat: vnde*  
*paret duas conditiones requiri ad constituendū*  
*signum propriè dictum: prior est ut ipsum*  
*percipiatur sensibus, vel saltem possit percipi:*  
*posterior est ut aliud à se animo repræsentet,*  
*& hoc signum propriè dictum solet vocari si-*  
*gnūm instrumentale: ita fumus est signum pro-*  
*priè dictum, quia primò seipsum sensibus offert,*  
*secundò aliud à se animo repræsentat scilicet*  
*ignem latentem.*

Signum instrumentale est duplex vnum na-  
 turale, alterum ex instituto: signum naturale  
 est illud quod à naturā significat, & significat idem  
 apud omnes: signum ex instituto est illud quod  
 ratione institutionis significat, & non significat  
 idem apud omnes: ita fumus est signum naturale,  
 quia significat idem apud omnes, scilicet ignem  
 latentem: hæc vox verò homo est signum ex  
 instituto, quia non significat idem apud om-  
 nes nihil enim significat apud Græcos & He-  
 bræos.

Obijcies signum naturale est signum ex

instituto : ergo signum naturale & signum ex instituto non opponuntur : probatur antecedens, iris in nube est signum ex instituto: atque iris est signum naturale : ergo signum naturale est signum ex instituto : major patet , cum iris instituta sit à Deo ad significandum non amplius fore diluuium, minor etiam liquet cum iris significet naturaliter , vel præteritam , vel instantem pluuiam. Respondeo concedendo totum argumentum , nam signum naturale est signum ex instituto in sensu reali & materiali, quatenus vna & eadem res est signum naturale & ex instituto , sed diuerso respectu: verbi gratia , iris est signum naturale respectu pluuiæ præteritæ vel imminentis , & est signum ex instituto resp. diluuij nunquam futuri: sed signum naturale non est signum ex instituto in sensu formaliter & reduplicatiuo : quare signum naturale & signum ex instituto formaliter opponuntur.



## Q V A E S T I O II.

*Vtrum vox sit genus nominis & verbi.*

**H**IC quæstioni locum dedit Aristoteles eò quod definuerit tum nomen , tum

verbum, *vocem*, &c. Inde orta hæc quæstio quam ut breuiter & clarè pertractemus: duo prænotamus tum in nomine, tum in verbo, scilicet eorum materiam, & eorum formam; materia nominis & verbi est sonus procedens ab ore animalis, forma vero tum nominis tum verbi est significatio: materia nominis ut potè sonus est patibilis qualitas, & in categoria qualitatis: formæ verò nominis ut potè significatio est relatio & in categoria relationis: his prænotatis respondemus quæstioni negatiæ, negamus scilicet vocem esse genus nominis & verbi, & sententiam nostram probamus his argumentis.

1°. Si vox esset genus nominis & verbi significatio esset eorum differentia: atqui falsum posterius: ergo & prius: probatur minor, genus & differentia ejusdem rei sunt in eodem prædicamento: verbi gratia animal & rationale sunt in eodem prædicamento: atqui vox & significatio non sunt in eodem prædicamento: ergo non sunt genus & differentia nominis & verbi: minor patet, cum vox sit in categoria qualitatis, significatio verò ut potè relatio est in categoria relationis.


2°. Res naturalis non est genus rei artificialis verbi gratia lignum non est genus cathedræ:

atqui vox est res naturalis, nomen & verbum sunt res artificiales cum constituantur nomina & verba per solam institutionem: adeò ut in quantum voces sint à naturâ, sed in quantum significant, sint ex instituto h̄ic possumus etiam afferre in medium autoritatem Aristotelis qui lib. 5. de Gen. anim. cap. 7°. vocat vocem τὸν λόγον ὑπὸ λόγου, id est *materiam orationis* cum autem sit materia orationis non est ejus genus.

Obijcitur 1°. materia non prædicatur in recto de suo toto: atqui vox prædicatur in recto de nomine & verbo: ergo vox non est eorum materia: major patet, nam verbi gratia non possum dicere corpus naturale est materia: minor patet, ex prædictis cum nomen dicatur *vox*, &c. verbum etiam dicatur *vox*, &c. Respondeo distinguendo majorem, materia non prædicatur in recto de suo toto distinguo: materia non prædicatur sine addito, concedo: cum addito, nego: verbi gratia non possum dicere domus est lapides & ligna sine addito, sed possum dicere cum addito, domus est lapides & ligna ita disposita: similiter non possum dicere nomen est *vox* nihil addendo: sed dicere possum nomen est *vox* addendo *ex instituto significant*.

Obijcitur 2°. si vox esset materia significa-

tionis esset ejus fundamentum : atqui vox non est ejus fundamentum : ergo vox non est ejus materia: probatur minor , si vox esset fundamentum significationis , significatio foret relatio realis: atqui falsum posterius, ergo & prius: consequentia majoris patet , quia vbi fundamentum relationis est reale , ibi necessariò relatio est realis, ac proinde si vox quæ est ens reale esset fundamentum significationis , significatio foret ens reale: minor superioris argumenti patet , ex eo quod significatio sit relatio rationis. Respondeo negando consequentiam majoris , & ad ejus probationem respondeo cum hac distinctione , vbi fundamentum relationis est ens reale, ibi relatio est realis, distinguo: si sit fundamentum proximum concedo: si sit fundamentum remotum nego : vox autem est fundamentum remotum significationis , institutio verò humana , vel diuina , est ejus fundamentum proximum.



### QVÆSTIO III.

*Vtrum voces significant conceptus &c res.*

**V**OCE S non sunt signa naturalia conceptum & rerum, sed sunt signa artificialia,

vel ex instituto , tum rerum , tum conceptuum :  
ratio est quia signa naturalia significant idem  
apud omnes : atqui voces non significant idem  
apud omnes : ergo voces non sunt signa natura-  
lia: minor patet, nam verbi gratia hæc voces vir,  
mulier nihil significant apud Hebræos , vel  
Græcos. Voces igitur sunt signa artificialia,  
vel ex instituto , sed ut hæc quæstio breuiter &  
clare expediatur.

Notamus 1°. conceptus distingui à vocibus  
eo quod conceptus sint signa naturalia rerum,  
voces vero sint signa artificialia , vel ex insti-  
tuto rerum ( ut supra ) conceptus autem sunt  
signa naturalia , quia significant eandem rem  
apud omnes , verbi gratia conceptus hominis  
idem significat apud omnes , voces vero non  
significant idem apud omnes ut supra vidimus.

Notamus 2°. signum esse duplex vnum ma-  
nifestatiuum tantum , alterum manifestatiuum  
& suppositiuum simul : manifestatiuum est illud  
qua significat rem , sed pro re non usurpatur : ita  
hedera est signum manifestatiuum , quia vinum  
venale significat , sed pro vino venali non usur-  
patur : signum manifestatiuum & suppositiuum  
simul est illud quod non tantum rem significat , sed  
etiam pro re usurpatur. Præmissa hac distinc-  
tione dicimus voces esse signa manifestatiua tan-

tum conceptuum, esse vero signa manifestatio-  
nia & suppositiva simul rerum: quia non tan-  
tum res significant, sed etiam pro rebus usur-  
pantur. His prænotatis respondemus quæstioni  
affirmatiuè affirmamus, scilicet voces esse signa  
manifestativa tantum conceptuum, esse vero  
signa manifestativa & suppositiva simul rerum,  
& sententiam nostram probamus auctoritate  
Aristotelis & ratione.

1º. Aristoteles cap. 1º hujus lib. docet voces  
esse σημεια των εν τη φυσι παθημάτων, id est  
signa affectuum qui sunt in anima: ergo voces  
sunt signa affectuum siue conceptuum: & in  
postprædicamentis ad cap. de priori indicat  
voces significare res his verbis *quod res sit vel*  
*non sit sermo dicitur verus, vel falsus.*

2º. Probamus hac ratione voces significant  
ea ad quæ significanda institutæ fuerunt: atqui  
institutæ fuerunt ad significandas res, & ad  
significandos conceptus: ergo voces significant  
res & conceptus: minor patet; 1º. institutæ  
sunt ut significant res & supponantur pro rebus,  
quia cum non possimus producere in medium  
res absentes de quibus loquimur, in earum lo-  
cum substituimus voces; 2º. institutæ sunt ad  
significandos conceptus, quia cum homo sit  
animal ad societatem natum & eam colere

debeat, necesse est ut conceptus mentis & affectus quos habet in anima alijs repræsentet, eos verò repræsentat per voces.

Obijcitur 1°. aliqua vox non significat rem: ergo falsum est omnes voces significare res: probatur antecedens, chimæra est aliqua vox: atqui chimæra non significat rem: ergo aliqua vox non significat rem: minor patet, vox enim chimæræ significat meram fictionem intellectus. Respondeo 1°. rem significatam per vocem chimæræ posse concipi duobus modis, vel secundum partes seorsim consideratas, vel secundum vniōnē illarum partium: sub priori notione est res positiva. Resp. 2°. aliquid dicere rem vel latè, vel strictè: vocabulum rei latè sumptum significat id omne quod se habet ad modum entis positivi: strictè sumptum designat id omne quod est verum ens positivum, vnde clarum est omnem vocationem significare rem quatenus res significat aliquid positivum, vel aliquid se habens ad modum entis positivi: chimæra autem est aliquid se habens ad modum entis positivi, quatenus concipitur constare ex partibus realibus & positivis, ac si foret verum ens positivum.

Obijcitur 2°. si vox significaret conceptum, hæc vox *Petrus dormit* significaret conceptum

Petri: atqui falsum posterius, ergo & prius probatur minor, si hæc vox *Petrus* significaret conceptum Petri, hæc propositio, Petrus dormit significaret conceptum Petri dormire: atqui hoc est absurdum: ergo & illud vndè sequitur. Respondeo negando consequentiam majoris vltimi argumenti, quia si hæc vox Petrus significat conceptum Petri, hæc propositio Petrus dormit significat quidem Petrum conceptum ab homine loquente dormire, sed non significat conceptum Petri dormire, vel ita distingo majorem, si hæc vox *Petrus* significat conceptū Petri hæc propositio Petrus dormit, significat conceptum Petri dormire, distingo: si hæc vox significet conceptū Petri, tanquam ejus signum manifestatiuum & suppositiuum simul, id est si non tantum significat conceptum Petri, sed etiam supponatur pro illo conceptu, concedo: si significet conceptum Petri, tanquam ejus signum manifestatiuum tantum, id est si significet tantūm conceptum Petri, sed pro conceptu non usurpetur, nego: voces autem sunt signa manifestatiua tantum conceptuum: sunt verò signa manifestatiua & suppositiua simul rerum: cum significant res & pro rebus usurpentur.

Obijcitur 3°. voces hominis dormientis &  
voces

voces Psittaci sunt voces: atqui voces hominis dormientis, & Psittaci non significant conceptum: ergo dantur voces quæ non significant conceptum: minor patet, cum homo dormiens sæpiissimè voces proferat incogitanter: Psittacus verò non concipit, cum intellectum non habeat. Respondet distinguendas esse voces humanas à vocibus hominis: vox humana est ea quæ pronuntiatur cum intentione aliquid significandi: vox hominis est ea quæ pronuntiatur incogitanter & sine intentione aliquid significandi, vndè ad argumentum voces hominis dormientis sunt voces, distingo: sunt voces hominis concedo: sunt voces humanæ nego. Hic autem agitur de vocibus humanis. Quare similiiter respondendum est voces Psittaci non esse voces humanas (de quibus nunc disputamus.) Præterea voces Psittaci non repræsentant quidem actum intellectus in Psittaco, sed repræsentant saltem actum imaginationis qui aliquo sensu potest dici conceptus.

Hic potest quæri utrū voces significant prius res quam concep. vel prius conceptus quam res; cui quæstioni soluendæ: respondeo voces prius significare res quam conceptus; 1º. quia auditis vocibus res nobis prius veniunt in mentem quam conceptus hominis, qui profert illas,

imò s̄æpissimè nullo modo cogitamus de conceptibus loquentis: ergo voces prius significant res; 2°. quia cognitio conceptus hominis loquentis dependet à cognitione rei de qua loquitur: adeò ut non possimus intelligere conceptum, quin prius intelligamus rem quam concipit; manifestatio igitur conceptus dependet à manifestatione rei, neque possumus intelligere conceptum hominis loquentis, nisi prius intelligamus rem de quâ loquitur.

Dices hæc vox *conceptus* est aliqua vox: at qui hæc vox *conceptus* significat prius actum intellectus concipientis quam rem: ergo aliqua vox significat prius conceptum, quam rem. Respondeo 1°. hanc vocem *conceptus* & similes quales sunt intellectio speculatio, &c. non esse voces de quibus nunc disputamus, quia agimus de vocibus quæ non tantum significant conceptus, sed etiam res: vndè dicimus voces esse signa manifestatiua conceptuum, & suppositiua rerum, prædictæ verò voces significant *conceptus* tantum. Respondeo 2°. distinguendo minorem hæc vox *conceptus* significat actum intellectus, &c. distinguo significat actum intellectus, distinguo: quatenus actus intellectus se habet tanquam res concedo: quatenus se habet tanquam conceptio rei v. imago rei, nego:

actus enim intellectus est res ad quam significandam instituta fuit hæc vox *conceptus*: adde quod non potest dici prius significare conceptum quam rem cum significet conceptum tantum.

## QVÆSTIO IV.

*Quid sit nomen infinitum & utrum omnia nomina possint infinitari.*

**N**O MEN infinitum est vox ex instituto significans, &c. habens particulam negandi non sibi præpositam: vt *non homo*: ubi aduertere hanc particulam negandi non sumi dupliciter, vel negantèr, vel infinitantèr: sumitur neganter quando postponitur subjecto, & præponitur copulæ verbali, facitque propositionem negantem, vt *homo non est lapis*: sumitur infinitanter quando præponitur subiecto, vel immediate præponitur attributo, vt *non homo est lapis*, *homo est non lapis*: Nomen igitur infinitum dicit formaliter negationem sui finiti, materialiter vero dicit positionem omnium aliorum entium: vnde dicitur simul tollere & ponere, tollit scilicet suum

finitum, & ponit omnia alia entia, verbi gratia hoc nomen infinitum *non homo* tollit suum finitum, scilicet hominem, materialiter vero ponit omnia alia entia, cum cœlum sit materialiter non homo, terra sit materialiter non homo, elementum sit materialiter non homo, &c.

Ex prædictis satis patet quid sit respondendum ad hoc argumentum: homo & non homo sunt termini contradictorij: atqui homo & cœlum sunt homo & non homo, cum cœlum sit non homo (vt suprà:) ergo homo & cœlum sunt termini contradictorij: Respondendum est scilicet ad majorem cum hac distinctione homo & non homo sunt termini contradictorij, distinguo: homo & non homo formaliter, siue homo & id quod negat formaliter hominem, concedo: homo & non homo materialiter, vel consequenter tantum nego: cœlum autem est non homo consequenter & materialiter quantum ex eo quod cœlum sit corpus simplex, inanimatum necessariò sequitur cœlum esse non hominem, cœlum vero non est formaliter negatio hominis.

Nomina distingui possunt in *categorica*, *transcendentalia*, & *supertranscendentalia*: categorica possunt infinitari, verbi gratia haec voces

*substantia, quantitas: &c. quia hæc vox non substantia dicitur de omni ente, & non ente, præterquam de suo finito: cum rectè dicatur quantitas est non substantia, qualitas est non substantia, &c. nihil, est non substantia: nomina verò transcendentalia, vel supertranscendentalia non possunt infinitari, quia dum habent particulam negandi sibi præfixam non habent infinitam extensionem, non prædicantur de quolibet ente, & non ente, præterquam de suo finito, ut omne verum nomen infinitum debet prædicari, verb. gr. hæc vox *ens* dum habet notam negandi sibi præfixam, non potest prædicari de quilibet ente & non ente, cum non possimus dicere substantia est non ens, quantitas est non ens, &c. Nomina etiam supertranscendentalia qualia sunt *nō cogitabile*, *nō imaginabile* non possunt infinitari ob eandem rationem.*

---

### Q V Æ S T I O . V.

*Vtrum mentiri & falsum dicere sint idem.*

**V**T HANC lepidam & pernecessariam quæstionem clarius expediamus.

Notamus 1°. aliquam esse differentiam inter

orationem veram & orationem veracem: inter orationem falsam & orationem mendacem: oratio dicitur vera quando est conformis rebus de quibus homo loquitur, ita hæc oratio est vera, *Petrus est homo*: oratio dicitur verax quando est conformis conceptui quem homo loquens arbitratur esse verū, licet de cætero non sit conformis objecto: verbi gratia esto aliquis, qui arbitretur Petrum esse Romæ (qui tamen non est Romæ) & dicat *Petrus est Romæ* hæc propositio *Petrus est Romæ* est verax, quia est conformis conceptui quem homo loquens arbitratur esse verum: cum homo loquens arbitretur Petrum esse Romæ, & se verè concipere Petrum existere Romæ: tamen hæc propositio non est vera, quia non est conformis suo objecto non est verò conformis suo objecto, quia Petrus non est Romæ, vt affirmat propositio: oratio dicitur falsa quando non est conformis suo objecto, ita hæc oratio *Petrus est lapis* est falsa, dicitur verò mendax quando non est conformis conceptui quem homo loquens arbitratur esse verum, licet de cætero sit conformis objecto, ita verbi gratia si aliquis arbitretur Petrum esse Romæ (qui vere non est Romæ) & dicat *Petrus non est Romæ* tunc ille habet propositionem mendacem, sed non fal-

sam, habet propositionem mendacem, quia  
habet propositionem, quæ non est conformis  
suo conceptui quem arbitratur esse verum: non  
habet vero propositionem falsam, quia hæc  
propositio Petrus non est Romæ est conformis  
suo objecto.

Notamus 2º. in homine mentiente dupli-  
cem esse conceptum, vnum verum, alterum  
falsum: conceptus verus est ille quem homo  
mentiens judicat esse verum, conceptus falsus  
est ille quem homo mentiens judicat esse fal-  
sum. Præmissa hac distinctione dicimus ser-  
monem hominis mentientis esse quidem con-  
formem conceptui falso, sed non est conformis  
conceptui vero. Contrà verò homo qui men-  
titur loquitur contrà conceptum quem judicat  
verum, vndè mentiri est quasi in mentem, vel  
contrà mentem ire.

Notamus 3º. proprium viri prudentis esse  
non dicere falsum, proprium verò viri probi  
est, non mentiri: cum mendacium sit peccatum.  
His prænotatis respondemus quæstioni nega-  
tiue, negamus scilicet mentiri & falsum dicere  
esse idem, & sententiam nostram probamus  
hoc argumento.


Si mentiri & falsum dicere sunt idem qui  
mentitur dicit falsum, & vice versa quicun-

que dicit falsum mentitur : atqui falsum posterius : ergo & prius : probatur minor per partes ; 1°. quicunque mentitur non dicit falsum, nam esto aliquis qui arbitretur Petrum esse Romæ, ( qui tamèn non sit Romæ, ) & dicat *Petrus non est Romæ*, talis homo mentitur , quia it contrà propriam mentem , & loquitur aliter quam sentit, dicit enim non esse Romæ eum quem credit esse Romæ , non tamèn dicit falsum , cum reuera Petrus non sit Romæ ; 2°. quicunque dicit falsum non mentitur, nam esto aliquis qui arbitretur ignem non esse calidum, & dicat *ignis non est calidus*, ille homo non mentitur , quia non it contrà propriam mentem , contrà verò loquitur planè sicuti sentit: tamèn dicit falsum: clarum est igitur ex prædictis mentiri & falsum dicere non esse idem.

Obijcies si nemo vnquam mentiatur frustrà quæritur vtrū falsū dicere & mentiri sint idem: atqui homo nunquā mētitur: ergo frustrà quæritur vtrum mentiri & falsum dicere sint idem: probatur minor, omnis homo est semp̄er verax: ergo nemo vnquam mentitur : probatur antecedens , quicunque loquitur secundum conceptum suum , est verax: atqui homo semp̄er loquitur secundum conceptum suum: ergo homo est semp̄er verax : probatur minor, ex eo quod

omnis vox significat conceptum ( vt vidimus  
suprà , ) ac proinde omnis vox est secundum  
conceptum , & quicunque loquitur juxta suum  
conceptum loquitur . Respondeo distinguendo  
majorem tertij argumenti , quicunque loquitur  
secundum conceptum suum est verax , distin-  
guo : si loquatur secundum conceptum suum ve-  
rum concedo : si loquatur secundum suum fal-  
sum nego : omnis autem homo loquitur , vel  
secundum conceptum verum , vel secundum  
conceptum falsum non vero semper loquitur  
secundum conceptum suum verum .

Dices atqui homo loquens secundum con-  
ceptum falsum est verax : ergo nulla solutio-  
probatur antecedens , esto aliquis qui arbitre-  
tur dari metampschysosim siue transmigratio-  
nem animarum , & dicat *datur transmigratio*  
*animarum* , ille loquitur secundum conceptum  
falsum , nam conceptus quo concipit dari trans-  
migrationem animarum est falsus , & tamèn  
est verax cum loquatitur planè sicut sentit . Re-  
pondeo conceptum hominis loquentis esse fal-  
sum , vel realiter , vel in sententia loquentis:  
vnde ad argumentum homo loquens secundum  
conceptum falsum est verax distingo : si con-  
ceptus sit falsus realiter tantum concedo : si sit  
falsus etiam in sententia loquentis nego .



## Q V Æ S T I O VI.

*Vtrum omnis propositio constet copula verbali.*

**H**A N C quæstionem suscipimus profligandam , quia plurimi dum feruent studio της ανθοληψης , id est trahendi in contrarium : etiam circà res euidentiores : contendunt nullam esse propositionem , quæ constet copula verbali inter quos primas tenet Gassendus vir clarissimus ; qui duabus rationibus conatur probare propositionem non constare copula verbali : quibus satisfacere nobis sufficiet in hac quæstione .

Prior est datur propositio in qua non est copula verbalis : ergo omnis propositio non constat copula verbali : probatur antecedens , negans est aliqua propositio : atqui in propositione negante non datur copula verbalis : ergo datur aliqua propositio in qua non est copula verbalis : probatur minor , vbi est negatio copulæ ibi non est copula : atqui in propositione negante est negatio copulæ cum nota negandi ponatur immediatè ante copulam ut patet in hac propositione , Petrus non est lapis : ergo

in propositione negante non est copula : major probatur , nam vbi est absentia copulæ ibi non est copula : atqui vbi est negatio copulæ , ibi est absentia copulæ: ergo vbi est negatio copulæ , ibi non est copula : Adde quod verbum substantiuum *est* non copulat partes in propositione negante , sed potius eas disiungit ut patet in hac propositione *Petrus non est lapis*. Respondeo negando minorem penultimi argumenti, cum in hâc propositione non sit negatio ipsius copulæ , sed est negatio identitatis subjecti cum attributo , verbi gratia quando dico *Petrus non est lapis* , non nego ipsam copulam verbalem, sed nego identitatem Petri cum lapi- de: ad illud verò quod dicitur verbum *est* non copulare partes in propositione negante , sed eas disiungere. Resp. non copulare quidem partes , quatenus *non* copulare significat conjungere subjectum cum attributo: eas tamèn copulat quatenus *non* copulare significat facere ut duo termini coalescant in unam propositionem , & ut simul concurrant unus tanquam subjectum , alter tanquam attributum ad constituendam unam & eandem propositionem , verbi gratia quando dico *Petrus non est planta* verbum *est* facit ut Petrus & planta vniantur ad constituendam eandem propositionem : in propositione

igitur negante non datur quidem copula con-  
jungens , sed datur semper copula disiungens,  
& enuntians.

Posterior ratio Gassendi est: in propositione etiam affirmāte v.g. in hac, *homo est animal*: verbum *est* non facit copulationem : ergo in propositione affirmante verbum *est* non potest dici esse copula : probatur antecedens , si verbum *est* facheret copulationem eam facheret vel in rebus , vel in conceptibus , vel in voce , vel in scriptura : atqui nullum dici potest : ergo verbum *est* non facit copulationem : probatur minor per partes ; 1°. non facit copulationem in rebus , quia res sunt copulatæ , antequam verbum *est* , sit cogitatum vel prolatum , vel scriptum verbi gratia , homo & animal copulantur , antequam cogites , dicas , vel scribas *hominem esse animal* ; 2°. non facit copulationem in conceptibus quia dum dico , homo est animal , sensus propositionis non est conceptus hominis est conceptus animalis , sed sensus propositionis est res significata per conceptum hominis est res quæ significatur per conceptum animalis ; 3°. non facit copulationem in voce , quia postquam dixi *homo* , & dico *est*: vox homo evanuit & non est amplius , vt arrepta vox *ani-*  
*mal illi copuletur* ; 4°. non facit copulationem

in scriptura, quia postquam scripsi *homo* & scribo est relinquitur aliquod spatum inter vocem *homo* & verbum est, & majus inter illas voces *homo* & *animal*. Respondeo verbum est facere copulationem tum in conceptibus tum in vocibus tum in scripturis, ad illud verò quod dicitur in hac propositione affirmante *homo est animal*, sensum non esse conceptus hominis est conceptus animalis, fateor: nihilominus facit copulationem in conceptibus, quatenus facit ut homo & animal vniuantur per mentē ad constituendam vnam & eandem propositionem: adeò ut ex illis duobus terminis *homo* & *animal* intellectus vnam faciat propositionem: similiter dico verbum est facere copulationem in vocibus & scripturis quatenus facit ut illi duo termini vniuantur in vocibus & scripturis ad constituendam vnam & eandem propositionem: quod spectat verò ad copulationem in rebus fateor verbum est non facere ejusmodi copulationem, sed eam indicat: verbi gratia, dum dico Petrus est homo: verbum est indicat Petrum & hominem copulari: nō est igitur facit copulationem in conceptibus, in vocibus, & scripturis, & indicat copulationem in rebus: & concludimus omnem propositionem, constare copula verbali, vel expli-

citè , vel implicitè , quæ videre poteris in cap.  
4°. secundæ partis Compendij.

QVÆSTIO VII.

*Vtrum omnis propositio sit vera, vel falsa.*

**D**I X I M V S propositionem diuidi ratione qualitatis , in veram & falsam , & insinuauimus quamlibet propositionem esse veram vel falsam ( sermo est de propositione enuntiativa ) & hoc probamus hoc argumento , omnis propositio est conformis suo objecto , vel non est conformis : ergo omnis propositio est vera , vel falsa , ratio antecedentis est , quòd inter conforme , & non conforme , ut potè contradicentia , nullum detur medium , ratio verò consequiæ est , quod veritas propositionis sita sit in ejus conformitate cum objecto , ejus verò falsitas sita sit in non conformitate , vel diffinitate cum objecto , ad pleniorum verò hujus quæstionis intelligentiam.

Aduerte 1°. propositionem posse esse veram duobus modis , vel in sensu composito , vel in sensu diuiso: est vera in sensu composito , quando est vera de re tali , manente tali : ita hæc

propositio est vera in sensu composito, homines infideles non saluabuntur, quia verum est homines manentes infideles non saluatumiri, sed non est vera in sensu diuiso, quia illi homines qui sunt jam infideles possunt obtinere fidem, & per fidem salutem: propositio dicitur vera in sensu diuiso, quae est vera de re non manente tali, ita haec propositio *cæci vident*, est vera in sensu diuiso, quia verum est eos qui erant cæci anteà, nunc videre, sed non est vera in sensu composito, cum non sit verum cæcos manentes cæcos videre: aduerte 2°. propositionem posse esse veram, vel in suppositione materiali, vel in suppositione formalis, vel in suppositione simplici, vel in suppositione personali, vel in suppositione absoluta: dicitur vera in suppositione materiali, quando verificatur de ipsa voce, quae est materia propositionis, ita haec propositio, canis est dissyllabum, est vera in suppositione materiali, cum verum sit vocem canis constare duabus syllabis, vnde patet quomodo debeat responderi ad hoc argumentum: canis est dissyllabum: atqui canis currit: ergo dissyllabum currit: scilicet majorem esse veram in suppositione materiali, minorem vero in suppositione formalis, ac proinde terminum *canis*, sumi duobus modis in


hoc argumento, cum in majori sumatur in suppositione materiali, & in minori sumatur in suppositione formali, & ob ejus homonymiam quatuor terminis constat ille syllogismus: propositio est vera in suppositione simplici, quando verificatur de re sumpta in communi qualis est hæc propositio, *homo est species*, propositio est vera in suppositione personali, vel singulari, quando verificatur de re singulari, qualis est ista, *homo currit*, quæ verificatur de re singulari, scilicet, vel de Petro, vel de Paulo: propositio est vera in suppositione absoluta, quando verificatur de re sumpta in vniuersali, & etiam sumpta in singulari, qualis est ista, homo est animal cum verum sit hominem in communi esse animal, omnem hominem esse animal, & etiam hunc hominem singularem esse animal; aduerte 3°. quamlibet propositionem quocumque sensu accipiatur, posse esse verā in qualib. materia: in materia necessaria, omnis propositio affirmans est vera, qualis est ista *homo est animal*: in materia impossibili, negans est semper vera, vt *homo non est lapis*: in materia verò contingenti, omnis propositio particularis siue sit affirmans, siue negans, est vera, vt *aliquis homo currit*, *aliquis homo non currit*: similiter propositio potest esse falsa in omni

omni materia : in materia necessaria , negans est semp̄ falsa , vt homo non est animal : in materia impossibili affirmans semp̄ est falsa ; *vt homo est lapis* : in materia verò contingentia, propositio vniuersalis siue sit affirmans , siue negans , est semper falsa : *vt omnis homo est doctus , nullus homo est doctus* : & hoc docuimus in compendio , vbi diximus duas propositiones contrarias esse simul falsas. Aduerte 4° . & ultimò , quamlibet propositionem quocumque sensu accipiatur , & in quacumque materia formetur, posse esse veram tribus modis, scilicet vel Logicè , vel Ethicè siue moraliter , vel Physicè : propositio censetur vera Logicè , quando est conformis præceptis Logicæ , ita omnis propositio constans subjecto attributo , & copula verbali , est vera Logicè , quia talis est qualem eam postulant præcepta Logicæ : propositio censetur vera Ethicè , siue moraliter , quando est conformis conceptui hominis loquentis , siue quando homo loquitur juxta conceptum suum , quem arbitratur esse verum , & rebus conformem : propositio verò est vera Physicè , quando est conformis suo objecto , & rebus de quibus formatur : vndē patet vnam & eandem propositionem posse esse simul veram Logicè , & falsam Ethicè , vel Physicè , verbi gr.

hæc propositio coruus est albus , est vera Logicè , quia constans subjecto attributo , & copula verbali , est conformis præceptis Logicæ , est tamèn falsa Ethicè , ( si homo qui dicit coruum esse album , non credat eum esse album ) semper verò est falsa Physicè , quia non est conformis suo objecto , quandoquidem coruus non est realiter albus , sed niger : & inde patet quid sit respondendum ad hoc argumentum : omnis propositio quæ constat subjecto , attributo , & copula verbali , est vera propositio : at qui *omnis homo est lapis* est propositio , quæ constat subjecto , attributo , & copula verbali : ergo *omnis homo est lapis* est vera propositio . Respondendum est scilicet ad majorem cum hac distinctione , omnis propositio quæ constat subjecto , attributo & copula verbali , est vera propositio , distinguitur : est vera Logicè , conceditur , est vera Physicè , negatur : ac proinde hæc propositio *omnis homo est lapis* , est vera propositio Logicè , sed non est vera Physicè : vnde concludimus omnem propositionem sumptam in specie esse veram , vel falsam . Frustra hinc obijcitur dari propositionem falsificantem , quæ neque est vera neque falsa . Ut autem hæc propositio falsificans proferatur in medium , supponamus aliquem teneri scribere

donec aliquis illi dicat propositionem falsam,  
sit verò aliquis qui ei dicat *non teneris scribere*,  
hæc propositio *non teneris scribere* (quæ est fal-  
sificans) neque vera est, neque falsa, nam si  
dicas eam esse veram necessariò colligo eam  
esse falsam, quia ille qui scribit tenetur scribe-  
re donec aliquis ei dicat propositionem falsam,  
cum autèm nundum aliquis ei dixit propositio-  
ne falsam, sed dixit propositionem veram tan-  
tum: sempèr tenetur scribere, ac proinde si hæc  
propositio *non teneris scribere* sit vera sequitur  
eandem esse falsam: si verò dicas hanc propo-  
sitionem *non teneris scribere* esse falsam: statim  
colligo eam esse veram, quia (ex superiori  
suppositione) homo scribens non tenetur am-  
plius scribere eodem instanti, quo aliquis ei  
dixerit propositionem falsam: cum igitur ali-  
quis ei dixit hanc propositionem *non teneris scri-  
bere*, quæ est falsa: necessariò, sequitur eum non  
amplius teneri &c. juxta superiorem supposi-  
tionem, ac proinde sequitur hanc propositio-  
nem *non teneris scribere* esse veram, responden-  
dum est quod si ex eo quod sit vera colligas  
esse falsam, respondendum est inquam hanc  
propositionem esse veram antecedenter, &  
consequenter falsam, si verò ex eo quod sit  
falsa colligas esse veram, dico hanc proposi-

tionem esse falsam antecedentē & consequentē veram , ac proinde est vera vel falsa : vel dico propositionem falsificantem dici abusivē propositionem.



## QVÆSTIO VIII.

*Vtrum dentur contingentia.*

**C**ONSIDERATIO contingentium pertinet propriè ad metaphysicam , nihilominus in hoc loco disputamus de contingentibus , quia Philosophus ventilat quæstionem de futuro contingentī , vtrum scilicet duarum propositionum contradictientium de futuro contingentī singulari , vna sit determinatè vera , & alia determinatè falsa . In quæstione verò præsenti inquiremus vtrum existant res contingentes ad faciliorem autem hujus quæstionis intelligentiam .

Notamus 1° . necessarium absolutum describi ab Aristotele lib . 3 . Met . cap . 5 . ὅ μὴ ἀντιστηταί ἀλλως οὐκ ἀλλως ἔχειν id est id quod non potest aliter & aliter se habere : contingens verò describitur id quod potest esse & non esse .

Notamus 2° . necessarium esse duplex unum

absolutum, alterum hyporethicum, necessarium absolutum est illud, quod absolute & nulla facta suppositione non potest aliter se habere. Ita hæc propositio est absolute necessaria, homo est animal: necessarium hypotheticum est quod facta aliqua suppositione non potest aliter se habere: ita necessarium est Deum dicere verum facta scilicet suppositione quod loquatur, quia pro summa sua libertate potest loqui, vel non loqui. Præmissa hac distinctione dicimus necessarium absolutum & contingens directè inter se opponi: necessarium verò hypotheticum & contingens non opponuntur, sed amicè conspirant, vndè vna & eadem res est contingens & necessaria, scilicet necessitate hypothetica: verbi gratia contingens est Petrum moueri, facta tamen suppositione quod Petrus currat, necessarium est eum moueri.

Notamus 3°. contingens esse duplex scilicet vel in existentia, vel in euentu: contingens in existentia est illud quod potest existere, & non existere: contingens in euentu est illud quod potest euenire & non euenire, & hoc contingens propriè respicit actiones creaturarum. Hic agitur de contingentibus in euentu: contingens autem in euentu est triplex, scilicet con-

tingens *ut plurimum* & est illud quod s&pè euenit verbi gratia plure hyeme: datur etiam contingens à casu, vel à fortuna & est illud quod raro euenit verbi gratia hominem ambulantem in via inuenire Thesaurum. Porro datur contingens *ut sic*, & *non sic* & est illud quod feret tam s&pè euenit quam s&pè non euenit, adeo ut in vtramque partem æqualiter cadat: primum contingens s&plius euenit quam non euenit, secundum s&plius non euenit quam euenit, tertium vero æqualiter euenit & non euenit: hinc agimus potissimum de contingentibus in euentu *ut sic* & *non sic*. His præmissis affirmamus dari contingentes, & sententiam nostram probamus his argumentis.

1º. Vbi dantur consultationes & hortationes, ibi dantur res contingentes: atque à parte rei dantur consultationes, & hortationes: ergo à parte rei dantur res contingentes: probatur major, consultationes, & hortationes non fiunt de rebus necessarijs, vel impossibilibus, sed de contingentibus: ergo vbi dantur consultationes, & hortationes, ibi dantur res contingentes: antecedens patet, nam nemo sanguis mentis consultat, vel alium hortatur ut transmittat unico saltu totum oceanum: vel ut totam aquam maris ebibat unico haustu: quia

hæc omnia sunt longè suprà hominis vires : nemo etiam mente sanus consultat , vel alium hortatur vt sit rationalis , vt habeat facultatem ridendi , quia hæc omnia necessariò homini conueniunt ; consultationes igitur , & hortationes non fiunt de rebus impossibilibus , sed de contingentibus , & non tantùm de contingentibus fiunt , sed etiam de rebus contingentibus quæ dependent à libera nostra voluntate , & quæ sunt in nostra potestate , idcirò ridiculus est qui hortatur hominem jam esurientem , vel sitiensem , vel frigentem , vt non esuriat , vt non sitiatur , vt non frigeat amplius , quia hæc omnia non dependent à libera hominis voluntate .

2º. Dantur res quæ possunt esse & non esse , adeò vt dentur multa quæ non sunt , sed possunt esse , & dentur multa quæ sunt & possunt non esse : ergo dantur res contingentes : probatur antecedens ; 1º. læsio capitis Æschyli Poetæ quæ facta fuit ab Aquila præteruolante & projiciente testudinem in ejus caput , rata caput albicans Poetæ esse rupem , ad quam testudinem allidere intendebat , est effectus qui poterat non esse , nam Aquila poterat aliò se transferre : Æschylus etiam poterat aliam viam inire , vel Aquila , vel Æschylus citius tansire

poterat, vel tandem testudo poterat non cadere rectâ supèr caput Æschyli, &c. 2°. invenitio thesauri quæ facta fuit à militibus Pompeij propè Carthaginem poterat non esse, cùm Pompeius posset suos milites ducere per aliam viam maximè distantem ab agro, in quo latebat thesaurus. Porrò aduersarij multandi sunt donec fateantur, se posse multari & non multari, ac proinde dari contingens.

Obijcitur 1°. si daretur contingens, daretur vel quando est, vel quando non est: atqui neutrum dici potest: ergo non datur contingens: probatur minor per partes; 1°. non datur contingens quando est, quia omne quod est eo ipso quod est necessarium est, ac proinde omne quod est, est necessarium, non verò contingens; 2°. quando non est, non est contingens, siue per id quod non est, intelligas id quod desijt & non est amplius; nam quicquid desijt necessariò fuit, ac proinde non est contingens: siue per id quod non est, intelligatur id quod nundum est, quia non entis nullæ sunt affectiones. Respondeo dari contingens & quando est, & quando non est: ad illud incommodum *omne quod est eo ipso quod est necessarium est*: dico esse quidem necessarium necessitate hypothetica quæ non destruit contingentiam rei, sed non

est necessarium necessitate absoluta: facta scilicet suppositione quod sit, necessariò est. Datur etiam contingens quando non est, ad illud verò quod dicitur omne quod desijt necessariò fuit, respondeo similiter necessariò fuit necessitate hypothetica, vel consequentiæ, facta scilicet suppositione quod fuerit, sed non fuit necessariò necessitate absoluta, & consequentis, dico etiam dari contingens quando nundum est, ad incommodum verò dico non ens non habere affectiones, si sit non ens simpliciter, & absolutè, id est si neque habeat existentiam, neque essentiam concedo: si sit non ens secundum quid tantùm, id est si non habeat existentiam, habeat tamen essentiam nego: contingens autem cum nundum est non habet quidem existentiam, sed saltem habet essentiam.

Obijcitur 2°. nulla causa agit contingenter: ergo nullus datur effectus contingens: probatur antecedens, omnis causa agit necessariò: ergo nulla causa agit contingenter: antecedens patet, nam positis omnibus ad agendum requisitis conditionibus, causa necessariò agit. Respondeo 1°. negando antecedens, nam causa libera non agit necessariò. Resp. 2°. causa merè naturalis agit quidem necessariò pro ut nō

necessarium opponitur libero , sed non pro-  
ut nō necessarium opponitur contingenti , ac  
proinde neganda est hæc consequentia. Causa  
naturalis agit necessariò : ergo non agit con-  
tingenter. Resp. 3°. Auicēnam dum ita arguit  
satis probare dari contingens , nam secundum  
Auicennam omnes illæ conditiones necessariæ  
ad agendum modo ponuntur , modo non po-  
nuntur, ac proinde positio ejusmodi conditio-  
num est aliquid contingens. Postremò quia  
ipse Auicenna fatetur contingentiam reperiri  
in actionibus liberis , sed non in rebus merè  
naturalibus. Dicimus quòd positis etiam om-  
nibus conditionibus causa naturalis possit non  
agere , cum Deus possit subtrahere concursum  
suum & impedire actionem causæ secundæ.

Obijcitur 3°. omnia entia sunt necessaria: er-  
go nullum datur contingens : probatur antece-  
dens , omnia habent causam necessariam : ergo  
omnia entia sunt necessaria : probatur ant.  
Deus est causa necessaria: atqui omnia habent  
Deum ut causam : ergo omnia habet causam  
necessariam. Respondeo Deum dici causam  
necessariam in essendo & existendo , quia ne-  
cessariò habet essentiam , & existentiam , sed  
non in agendo cum non agat necessariò: cœlum  
verò dicitur causa necessaria in ratione agendi,

neque excipere debes Deum agere necessariò, quia Deus pater necessariò producit Filium suum , Pater & Filius necessariò producunt Spiritum Sanctum : quia non negamus Deum agere necessariò in actionibus quæ vocantur *ad intra* , sed negamus agere necessariò in operationibus *ad extra* siue in actionibus quæ terminantur in creaturis quæ sunt extra Deum.

QVÆSTIO IX.

*Vtrum præscientia Dei destruat contingentia.*

CICERO Academicus it contrà sententiam Stoicorum qui negabant dari contingētia in mundo , dum contendit dari res contingētes, sed declinans hunc errorem incidit in alium longè pejorem , quia Deo adimit cognitionem rerum contingentium futurarum , vt ipsemet testatur lib. 2°. de diuin. vbi ita loquitur mihi ne in Deum cadere videtur vt sciat quod casu & fortuitò futurum est, si enim scit certè illud futurum est , si certè eueniat, nulla est fortuna , est autem fortuna : ab Augustino vapulat Cicero libri 5. de ciuitate Dei capite 9. cui applicantur hæc verbo vt homines faceret liberos

*eos fecit sacrilegos*: nos verò vtrumque scopulum declinaturi dicimus dari res contingentes, deumque cognoscere omnia contingentia siue præterita, siue futura absque quod hæc præcognitio Dei imponat illis necessitatem, vel defruat earum contingentiam, sed ut hæc veritas clarius pateat.

Notamus 1º. res contingentes posse concipi dupliciter, scilicet vel absolutè in se ipsis, vel comparatè ad præscientiam Dei, quatenus Deus præsciuit eas fore, vel non fore: dum concipiuntur absolutè in se ipsis dicuntur concipi *in sensu diuiso*, quia considerantur diuisim à præscientia Dei, quando verò considerantur comparatè ad præscientiam Dei, dicuntur considerari *in sensu composito*, quia considerantur compositè siue conjunctim cum præscientia Dei: si res contingentes considerentur in sensu diuiso possunt euenire, & non euenire, sumptæ verò in sensu composito præscientiæ diuinæ, sunt necessariò euenturæ, vel necessariò non euenturæ: quia verò necessitas est duplex, una quæ destruit contingentiam rei, & altera quæ amicè conspirat cum rei contingentia.

Notamus 2º. & vltimò, necessitatem esse duplicitem, vnam intrinsecam & essentiale, alteram verò extrinsecam, & accidentalem:

prior sequitur ex essentia rei , posterior verò sequitur ex aliqua re extrinseca , prior destruit contingentiam rei , posterior verò eam non destruit : prior necessitas vocatur communiter necessitas absoluta , quia conuenit rei consideratæ absolutè in se ipsa : vocatur etiam necessitas antecedens , quia antecedit omnem suppositionem , & conuenit rei ante omnem suppositionem : dicitur tandem necessitas consequentis , quia est necessitas qua vnum ex alio sequitur , qualis est necessitas qua lux sequitur ex sole : posterior verò necessitas , scilicet necessitas extrinseca , vel accidentalis , vocatur à Philosophis , modò necessitas hypothetica , quia facta tantum aliqua suppositione , rei conuenit , modò dicitur necessitas consequens , quia consequitur suppositionem , & conuenit rei post suppositionem tantum , porrò dicitur necessitas consequentiæ , quia à suppositione vnius ad positionem alterius , necessaria est consequentia , verbi gratia facta suppositione quod videam Petrum ambulare , necessarium est necessitate scilicet consequentiæ eum ambulare , vbi aduertè necessitatem consequentem , vel consequentiæ , tam distare à necessitate consequentis , quam necessitas hypothetica distat ab absoluta , his prænotatis respondemus quæstioni

negatiuè , negamus scilicet præsciam Dei, destruere rerum contingentiam , & sententiam nostram probamus hoc argumento.

Nulla scientia speculatiua , facit vel mutat suum objectum : atqui præscientia Dei , est scientia speculatiua: ergo præscientia Dei, non facit , vel mutat suum objectum , ac proinde non mutat naturam rerum contingentium, adde quod, cum præscientia Dei, sit extrà essentiam rerum contingentium , non potest mutare intrinsecè , vel essentialiter res contingentes.

Obijcitur 1°. quicquid est contingens , potest esse & non esse , atqui quæ Deus prænouit non possunt esse & non esse : ergo quæ Deus prænouit non sunt contingentia , ac proinde prænotio Dei non potest conspirare amicè cum rebus contingentibus , sed eas potius destruit: minor probatur , nam si Deus prænouerit res contingentes euenturas , necessariò euenient, & non possunt euenire , & non euenire : si verò prænouerit eas non fore , necessariò non euenient, ac proinde non possunt euenire , & non euenire. Respondeo distinguendo minorem, quæ Deus prænouit non possunt esse & non esse , distinguo : in sensu composito prænotionis , vel præscientiæ Dei , concedo : in sensu diuiso , nego : scilicet si concipientur conjun-

Etim cum præscientia Dei, non possunt esse,  
& non esse, bene tamen si concipientur diui-  
sim à præscientia Dei, & absolutè in se ipsis.

Instabis 1°. nullum necessarium est contin-  
gens: atqui res contingentes in sensu compo-  
sito præscientiæ Dei, sunt necessariæ, ex con-  
cessis: ergo res contingentes in sensu compo-  
sito præscientiæ Dei, non sunt contingentes.  
Respondeo distinguendo majorem, nullum  
necessarium est contingens, distinguo: si sit  
necessarium, necessitate absoluta, & intrin-  
seca, concedo: si sit necessarium necessitate  
hypothetica, & extrinseca tantum, nego: res  
autem contingentes in sensu composito præ-  
scientiæ Dei, sunt necessariæ necessitate hy-  
pothetica, & extrinseca tantum, cum sint ne-  
cessariæ per suppositionem præscientiæ Dei,  
quæ suppositio illis est extrinseca, sunt igitur  
absolutè contingentes, & hypotheticè neces-  
sariæ.

Instabis 2°. & vltimò omne contingens po-  
test esse & non esse: atqui res contingentes (de  
quibus nunc) in sensu diuiso non possunt esse &  
non esse: ergo res contingentes etiam in sensu  
diuiso non sunt res contingentes: probatur mi-  
nor, si res contingentes in sensu diuiso possent  
esse, & non esse, ponamus Deum præscire

Petrum non disputaturum cras, cum disputatio  
craſtina Petri sit contingens potest esse & non  
esse, & est possibilis: vnde sic arguo possibili  
posito in actu nihil sequitur absurdum ( vt tri-  
tum est apud Philosophos: ) atqui posita dis-  
putatione craſtina Petri in actu sequitur absur-  
dum, cum sequatur Deum qui præſciuit Petrum  
non disputaturum cras, falli in sua præſcientia,  
& non tantum hoc est absurdum, sed impium  
cogitatu: ergo disputatio craſtina Petri non est  
possibilis, ac proinde non est contingens, cum  
omne contingens sit possibile. Respondeo hoc  
axioma possibili posito in actu nihil sequitur absur-  
dum: debere intelligi de re quæ est absolute, &  
omni respectu possibilis: non verò de illa re  
quæ aliquo respectu tantum est possibilis, dis-  
putatio autem craſtina Petri est tantum aliquo  
respectu possibilis, cum sit possibilis respectu  
Petri tantum, respectu verò præſcientiæ Dei  
non est possibilis, cum Deus præſciuerit eum  
non disputaturum cras.



QVÆ-

## QVÆSTIO X.

*Virum duarum propositionum contradictientium de futuro contingentis singulari una sit determinatè vera, & altera determinatè falsa.*

**D**IFFICILLIMA censetur ab omnibus quæstio præsens, ad eam tamèn facilis patebit aditus, modò attente perpendantur obseruationes sequentes.

Notamus igitur 1º. hic non disputari de propositionibus quæ formantur de necessario, sed de contingenti.

Notamus 2º. propositiones contradictorias de contingenti esse contradictorias, vel in primo, vel in tertio genere. Non disputamus de propositionibus contradictorijs in primo genere, quales sunt sequentes omnis homo curret, aliquis homo non curret: nam clarè cognoscimus unam ex illis esse determinatè falsam, scilicet priorem: & alteram esse determinatè veram scilicet posteriorem: sed disputamus de propositionibus quæ sibi contradicunt in tertio genere, siue quæ fiunt de subjecto singulari & pugnant secundum qualitatem, quales sunt

istæ Petrus curret, Petrus non curret.

Notamus 3°. h̄ic non controuerti de propositionibus contradicentibus quæ fiunt de contingentī præterito, vel præsenti. Nam cum earum objectum determinatè fuerit, vel determinatè sit, necesse est ut vna sit determinatè vera, & altera determinatè falsa. Est igitur controuersia de propositionibus contradicentibus quæ fiunt de contingentī futuro, quales sunt istæ Petrus curret, Petrus non curret.

Notamus 4°. h̄ic agi de contingentī futuro non reuelato à Deo.

Notamus 5°. h̄ic non quæri vtrum duarum propositionum contradicentium, &c. vna sit indefinitè vera, & alia indefinitè falsa, siue vtrum vna sit disiunctiū vera, & alia falsa: scilicet vel hæc, vel illa: sed quæritur vtrum vna sit definite vera, & alia definite falsa.

Notamus vltimò disputationem non esse vtrum duarum propositionum contradicētum de futuro contingentī singulari vna sit determinatè vera, & alia determinatè falsa, respectu objecti, siue respectu rei significatæ per propositionem: sed vtrum vna sit determinatè vera, & altera falsa respectu subjecti cognoscētis finiti scilicet Angeli, vel hominis. His prænotatis sententiam nostram duabus asser-

tionibus conspicuam facimus, & eam probamus.

Prior assertio est: *duarum propositionum contradicentium de futuro contingentis singulari vna est determinatè vera, & altera determinatè falsa respectu objecti, siue rei enuntiatæ: probat. hæc assertio;* 1°. duorum contradicentium vnum est necessariò verū & aliud falsum, vt est in confessio: atqui duæ propositiones contradictentes de futuro contingenti, &c. sunt duo contradictientia: ergo vna est necessariò vera & alia falsa scilicet respectu objecti, vel rei enuntiatæ per propositiones; 2°. tales sunt propositiones, quales Deus eas cognoscit, cum cognitio Dei sit planè infallibilis: atqui duarum propositionum contradicentium de futuro contingentis singulari, Deus cognoscit vnam determinatè veram, & aliam cognoscit determinatè falsam: ergo duarum propositionum de futuro contingentis singulari vna est determinatè vera, & alia falsa: probatur minor, qui potest reuelare vnam propositionem tanquam determinatè veram, & aliam tanquam determinatè falsam, cognoscit vnam determinatè veram, & aliā determinatè falsam: atqui Deus potest reuelare vnam tanquam determinatè veram, & aliam tanquam determinatè falsam: ergo Deus cognoscit vnam

determinate veram, & aliam determinatè falsam: minor patet, cum Deus reuelauerit hanc propositionem de futuro contingentī singulari, tanquam determinatè veram, *Christus veniet ad judicandum*. Istam verò consequenter reuelauerit tanquam determinatè falsam, *Christus non veniet ad judicandum*.

Posterior assertio est: duarum propositionum contradictorium de futuro contingentī singulari una non est determinatè vera, & alia determinatè falsa respectu nostri, siue respectu nostræ cognitionis: probatur hæc assertio 1°. si duarum contradictorium de futuro contingentī singulari cognosceremus unam determinatè veram, & aliam determinatè falsam, possemus prædicere certò, & infallibiliter quæ sunt euentura, & quæ non sunt euentura: atqui falsum posterius, ergo & prius: probatur minor, solus Deus potest prædicere certò, & infallibiliter euentura & non euentura, ut patet ex cap. 41. Esaiæ, ubi per Prophetam compellat Deos Ethniconum his verbis: annuntiate nobis futura, & dicemus nos esse Deos: quibus verbis satis indicat prædictionem certam & infallibilem rerum futurarum esse proprium characterem solius veri Dei; 2°. sicut ex causa necessaria colligimus effectum necessariò futurum, ita ex causa con-

tingenti colligimus effectum contingentem, vel  
indifferenter futurum: atqui verum prius: ergo  
& posterius, ac proinde scimus tantum effe-  
ctum rei contingentis fore, vel non fore, non  
verò scimus, eum determinatè fore, vel deter-  
minatè non fore: ratio majoris est, quia sicut  
causa necessaria est determinata ad suum effe-  
ctum producendum, ita causa contingens est  
indifferens ad eum producendum, vel non pro-  
ducendum: contrà priorem assertionem fieri  
solet objectio sequens.

Obicitur duarum propositionum contra-  
dicientium de futuro contingentи singulari  
vna non est vera, & alia falsa respectu objec-  
ti: ergo vna non est determinatè vera, & alia  
determinatè falsa respectu objecti: probatur  
antecedens, si vna propositio esset vera,  
esset actu, vel potentia vera: atqui neutrum  
dici potest: ergo vna propositio non est vera:  
probatur minor per partes; 1°. non est actu ve-  
ra, quia propositio actu vera est actu confor-  
mis suo objecto: atqui vna propositio de futuro  
contingenti singulari non est actu conformis  
suo objecto: ergo vna propositio de futuro con-  
tingenti non est actu vera: probatur minor,  
propositio actu conformis habet objectum  
existens actu: aqui propositio de futuro, &c.

non habet objectum existens actu, quia cum sit futurum nondum est, sed potest esse: ergo propositio de futuro non est actu conformis suo objecto; 2°. vna propositio de futuro contingenti singulari non est potentia vera, quia frustra est potentia quæ non reducitur in actum, neque potest reduci: atqui potentia quâ vna prop. de futuro est vera nunquam reducitur in actum, neque potest reduci, quando enim reducitur in actum, non est amplius propositio de futuro, sed est propositio de præsenti, adeò ut nunquam reducatur in actum quandiu propositio est de futuro, verbi gratia potentia qua hæc propositio est vera *Petrus curret*, reducitur in actum, quando Petrus de facto currit & tunc propositio non est amplius de futuro, sed est de præsenti: ergo potentia qua propositio de futuro est vera est frustra. Respondeo 1°. vnam propositio nem de futuro contingentи singulari esse actu veram, & actu conformem suo objecto ad maiorem verò quarti argumenti, respondeo cum hac distinctione, propositio actu conformis suo objecto habet objectum existens actu, distinguo: habet objectum existens actu, in tempore significato per propositionem, concedo: in omni alio tempore nego: si propositio sit de præterito habet objectum existens actu in tempore

præterito , siue quod actu extitit : si propositio sit de præsenti habet objectum quod est actu in tempore præsenti , similiter si propositio sit de futuro habet objectum quod est actu in tempore futuro significato per propositionem . Respondeo 2° , propositionem de futuro esse potentiam veram , ad incommodeum vero dico hanc potentiam non reduci in actum in propositione de futuro verbi gratia in hac propositione , *Petrus curret* , considerata secundum quid , scilicet quatenus consignificat tempus futurum quod est aliquid extrinsecum propositioni , atamen reducitur in actum in hac propositione considerata simpliciter & secundum essentiam , nam quando est de præsenti distinguitur , quidem accidentariò à se ipsa , quatenus anteā connotabat tempus futurum , nunc vero connotat tempus præsens , sed non distinguitur essentialiter à se ipsa , cum habeat semper easdem partes essentiales , scilicet idem subiectum , & idem attributum : est igitur fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter : ac si ita arguerem frustra est potentia quae non reducitur in actum : atqui potentia ambulandi in infante nunquam reducitur in actum , quia cum reducitur in actum non est amplius infans : ergo potentia ambulandi in infante est frustra

quæ ratio argumentandi est vitiosa, quia quamvis infans non maneat idem secundum quid scilicet secundum rationem infantiae, manet semper idem secundum essentiam; contrà posteriorem assertionem.

Obijcitur 1°. propositio determinatè conformis suo objecto est determinatè vera, & propositio determinatè difformis suo objecto est determinatè falsa: atqui duarum propositionum contradictiorum de futuro, &c. una est determinatè conformis suo objecto, & alia determinatè difformis, cum duorum contradictorium unum sit necessariò verum & aliud falsum: ergo duarum propositionum contradictiorum de futuro, &c. una est determinatè vera & alia determinatè falsa. Respondeo distinguendo majorem, propositio determinatè conformis suo objecto est determinatè vera, & propositio determinatè difformis suo objecto est determinatè falsa, distingo: respectu objecti vel rei enunciatæ concedo: respectu nostri vel nostræ cognitionis nego: quæstio autem est utrum una sit determinatè vera, & alia falsa respectu nostri.

Obijcitur 2°. Petrus resurget, Petrus non resurget, sunt duas propositiones contradictores de contingenti futuro: atqui una scilicet

prior est determinatè vera respectu nostri, cum distinctè cognoscamus eam esse veram, & altera est determinatè falsa respectu nostri, scilicet posterior: ergo duarum propositionum contradictientium de futuro contingentि, vna est determinatè vera, & alia falsa respectu nostri. Respondeo ad majorem cum hac distinctione Petrus resurget, Petrus non resurget, sunt propositiones contradictentes de contingentи futuro, distinguo: de contingentи reuelato à Deo, concedo: de contingentи non reuelato, nego: procedit autem quæstio de contingentи non reuelato.

Obijcitur 3º. nulla datur propositio de futuro: ergo frustra quæritur vtrum vna propositio de futuro sit determinatè vera & altera falsa: probatur antecedens, si daretur propositio de futuro, ista scilicet *Petrus disputabit* foret sine dubio de futuro: atqui falsum posterius, ergo & prius: probatur minor, omnis propositionis de futuro objectum est futurum: atqui hujus propositionis *Petrus disputabit* objectum non est futurum: ergo hæc propositio *Petrus disputabit* non est de futuro: probatur minor, possibile non est futurum: atqui objectum hujus propositionis *Petrus disputabit*, scilicet *disputatio Petri*, est possibile: ergo objectum hujus

propositionis non est futurum : probatur major, quod est ante futurum non est futurum : atqui possibile est ante futurum cum res sit prius possibilis quam futura : ergo possibile non est futurum. Respondeo objectum propositionis de futuro esse futurum , simulque possibile , ad incommodum verò , respondeo distinguendo majorem vltimi argumenti , quod est ante futurum non est futurum , distinguo : quod est ante futurum naturâ & tempore simul , concedo : quod est ante futurum naturâ tantum , nego : possibile autem est ante futurum , naturâ tantum , non verò naturâ , & tempore simul : hoc simili rem illustro , Sol antecedit lucem & tamèn est lucidus , quia antecedit lucem naturâ tantum , non tempore.

Obijcitur 4°. Petrus leget vel non leget , Petrus neque leget neque non leget : sunt duæ propositiones contradictoriæ de futuro contingentí singulari : atqui vna scilicet prior est determinatè vera respectu nostri , & altera scilicet posterior est determinatè falsa respectu nostri : ergo duarum propositionum contradictiarum de futuro contingentí singulari , vna est determinatè vera & altera falsa respectu nostri : minor patet , cum certum sit apud nos Petrum lecturum , vel non lecturum , ac proinde

nobis persuasum est hanc propositionem, *Petrus leget vel non leget* esse veram: & consequenter hanc scilicet *Petrus neque leget neque non leget* esse falsam. Respondeo prædictas propositiones contradictorias esse compositas & disiunctiuas cum quælibet ex illis constet duabus propositionibus simplicibus contradictorijs, verbi gratia ista *Petrus leget vel non leget*, constat duabus propositionibus contradictorijs, potest enim resolui in istas duas simplices *Petrus leget*, *Petrus non leget*: vnde ad argumentum *Petrus leget vel non leget*, *Petrus neque leget neque non leget*, sunt duæ propositiones contradictoriæ de futuro, &c. distinguo: sunt duæ propositiones compositæ & disiunctiuæ, concedo: sunt duæ propositiones simplices contradictoriæ, &c. nego: quæstio autem est vtrum duarum propositionum contradicentium simplicium de futuro, &c. vna sit determinatè vera & altera falsa respectu nostri.

Obijcitur 5°. supponamus Petrum disputaturum cras: tunc hæc propositio *Petrus disputabit cras*, est determinatè vera respectu nostri, & ista *Petrus non disputabit cras*, est determinatè falsa respectu nostri: ergo duarum propositionum contradicentium de futuro contingenti singulari, vna est determinatè vera &

altera falsa respectu nostri. Respondeo harum propositionum vnam scilicet priorem, esse determinatè veram respectu nostri, & alteram scilicet posteriorem, esse determinatè falsam, post suppositionem quòd Petrus fit disputaturus **cras**, sed non ante suppositionem, quæstio verò est vtrum duarum propositionum contradicentium de futuro, &c. vna sit determinatè vera, & altera determinatè falsa respectu nostri, antè omnem suppositionem: vbi aduerte duplicum posse formari suppositionem vnam *antecedentem*, alteram *consequentem*: suppositio antecedens est suppositio causæ quando scilicet supposita tali causa sequitur necessariò talis effectus, verbi gratia supposito igne necessariò sequitur calefactio ( saltem naturaliter.) Suppositio consequens est suppositio existentiæ effectus quæ dicitur consequens, quia consequitur existentiam effectus: prior suppositio destruit libertatem, & contingentiam, non posterior.

Obijcitur 6°. & vltimò Petrus dixit se disputaturum **cras**, Petrus dixit se non disputaturum **cras**, sunt duæ propositiones contradictoriæ de futuro contingentí singulari: atqui vna ex illis est determinatè vera, & altera determinatè falsa respectu nostri: ergo duarum propo-

sitionum contradictoriarum , &c. vna est determinatè vera & altera determinatè falsa respectu nostri. Respondeo propositiones contradictorias de futuro esse duplices , aliæ sunt simpliciter de futuro , aliæ sunt secundum quid de futuro : in quantum scilicet dependent à propositionibus quæ fiunt de præterito : verbi gratia hæc propositiones sunt simpliciter de futuro , *Petrus disputabit* , *Petrus non disputabit* : istæ verò sunt de futuro secundum quid , quatenus scilicet dependent à propositionibus de præterito *Petrus dixit se disputaturum* , *Petrus dixit se non disputaturum* : vnde ad argumentum Petrus dixit se disputaturum cras ; Petrus dixit se non disputaturum cras , sunt duæ propositiones contradictoriæ de futuro , &c. distingo : sunt de futuro secundum quid , in quantum dependent ab ista propositione quæ est de præterito *Petrus dixit* concedo : sunt propositiones simpliciter de futuro , nego : hic autem agitur de propositionibus quæ fiunt simpliciter & absolutè de futuro : adde quod responderi potest vnam ex propositionibus allatis esse determinatè veram , & alteram determinatè falsam in quantum sunt de præterito , ( quatenus scilicet includunt hæc verba *Petrus dixit* , ) sed non in quantum sunt de futuro .



QVÆSTIONES  
IN  
QVATVOR LIBROS  
ANALYTICOS.

---

PRÆFATIO.

**O**MISSA textus Aristotelis interpretatione quia in Compendio satis eum exposuimus: nonnullas quæstiones in hos libros ventilabimus: diuiduntur autem hi libri in duos priores Analyticos, & duos posteriores: duo priores dicuntur Analyticj sine resolutorij, quia in illis docemur resoluere syllogismum in figuram & modum uno verbo informam: dicuntur priores, quia versantur

circà syllogismum in communi: duo verò posteriores occupantur circà syllogismum in specie scilicet circà syllogismum demonstratiuum, syllogismus autem sumptus in communi est prior syllogismo considerato in specie: duo verò posteriores libri vocantur Analyticj, siue resolutorij, quia nos docent resoluere demonstrationem in suas partes materiales, scilicet in principia, subiectum, & proprieta-tes: nominantur posteriores, quia agunt de syllogismo demonstratiuo qui est posterior syllogismo considerato in genere.



## QVÆSTIO I.

*Vtrum quarta figura quam vulgo vocant  
Galenicam sit admittenda.*



ERTVM est Philosophum ex Professo tres tantum figuræ docuisse & explicuisse: nihilominus medicorum filij quartam figuram dari contendunt, eamque volunt inventam fuisse à Galeno, quæ figura ob hanc rationem vulgò *Galenica* solet nuncupari: Galenum verò authorem esse hujus figuræ inter alios docet Auerroes in cap. 8. lib. 1. pri. An. in libris tamen Galeni qui nunc supersunt, de hac figura altum est silentium: nos etiam si non sumus medici vel medicorum filij à partibus Galeni stamus & audacter pronuntiamus hanc figuram non tantum esse legitimam, sed etiam omnium figurarum nobilissimam, & hoc aduersus omnes ferè Philosophos qui hanc figuram tanquam indirectam, nouitiam, & Aristoteli injuriam reiiciunt. Ut autem sententia nostra clarius pateat & probetur.

Notamus 1°. figuram esse dispositionem trium

trium terminorum secundum quam medius terminus subjicitur vel praedicatur in praemissis vnde patet totuplicem debere esse figuram, quotplex dari potest dispositio medij termini in praemissis.

Notamus 2°. in syllogismo majorem terminum esse illum qui ponitur in majori propositione cùm medio, minorem verò terminum esse illum qui ponitur in minori cùm medio medium verò esse illum qui est in majori; & in minori, sed non est in conclusione.

Notamus 3°. figuram Galeni esse dispositiōnem trium terminorum, secundum quam medius terminus praedicatur in majori, & subjicitur in minori: & habet quatuor modos directè concludentes, scilicet *Aptala*, *Galene*, *Pirali*, *Vitedo*: ut igitur conficiatur syllogismus in quartā figurā, & in primo modo quartae figurae sic procedere debet.

Ap omnis homo est animal;

ta atqui omne animal est viuens

la ergo omnis homo est viuens.

Notamus 4°. in figuris Aristotelis fieri descensum à superiori ad inferius per scalam categoricam, ut patet intuenti hunc syllogismum qui est in prima figura & in modo darij: *omnis homo est animal*: *atqui Petrus est homo*: ergo

*Petrus est animal: in quo fit descensus ab animali ad Petrum, contrà verò in figurâ Galenicâ fit ascensus ab inferiori ad superiorius per scalam categoricam, (vel saltem non fit descensus) vt patet insipienti hunc syllogismum qui est in quartâ figurâ & in modo *Aptala*, omnis homo est animal: atqui omne animal est viuens: ergo omnis homo est viuens: in quo fit ascensus ab homine ad animal, ab animali ad viuens, & hæc obseruatio maximi est momenti in hac quæstione. His prænotatis respondemus quæstioni affirmatiuè affirmamus scilicet quartam figurâ legitimam esse imò, & omnium figurarum Aristotelis nobilissimam, ita vt hîc liceat pronuntiare *amicus Plato*, *amicus Socrates*, *amicus etiam Aristoteles*, sed magis *amica veritas*, sententiam verò nostram probamus his argumentis.*

1°. Quotuplex est dispositio medij cum extremis, totuplex est figura: atqui quadruplex est dispositio medij cum extremis: ergo quadruplex est figura: ratio majoris est quia, cùm figura sit essentialiter dispositio trium terminorum, ubi multiplicatur dispositio trium terminorum, ibi necessariò multiplicatur figura: ad de quòd Aristotelici probant triplicem esse figuram, eo quòd triplex sit dispositio medij cum extremis: probatur minor seorsim & per

partes; 1°. datur dispositio qua medius terminus subijcitur in majori, & prædicatur in minori & est prima figura; 2°. datur dispositio, qua medius terminus prædicatur in majori, & in minori, & est secunda figura; 3°. datur dispositio, qua medius terminus subijcitur in majori, & etiam in minori, & est tertia figura; 4°. & ultimò datur dispositio, qua medius terminus prædicatur in majori, & subijcitur in minori, & est quarta figura: excipies forte dispositionem, qua medius terminus prædicatur in majori, & subijcitur in minori, non disting. essentialiter quartam figuram à prima: sed contrà dispositio medij termini in quarta figura, est differentia essentialis quartæ figuræ: ergo distinguit essentialiter quartam à cæteris: probatur antecedens per partes; 1°. est differentia quartæ figuræ, quia dispositio, qua medius terminus prædicatur in majori, & subijcitur in minori conuenit quartæ figuræ tantùm; 2°. est differentia essentialis, quia differentia sine qua quarta figura, neque esse, neque concipi, neque definiri potest (etiam à priori) est ei essentialis: atqui talis dispositio medij est differentia sine qua, quarta figura, neque esse, neque concipi, neque definiri potest (etiam à priori): ergo talis dispositio medij cum extremis est differen-

tia essentialis quartæ figuræ : minor patet cùm quarta figura definiatur essentialiter, dispositio qua medius terminus prædicatur in majori & subiicitur in minori.

2°. Figura in qua fiunt syllogismi legitimi est legitima : atqui quarta figura est figura in qua fiunt syllogismi legitimi : ergo quarta figura est legitima : probatur minor , qui syllogismi habent definitionem syllogismi legitimi, sunt legitimi : atqui in quarta figura fiunt syllogismi qui habent definitionem syllogismi legitimi : ego in quarta figura fiunt syllogismi legitimi : probatur minor , oratio in qua quibusdam positis aliquid diuersum ab antepositis sequitur necessariò, eo quod talia sint, est definitio syllogismi legitimi: atqui in quarta figura fiunt syllogismi qui habent hanc definitionem: ergo in quarta figura fiunt syllogismi qui habent definitionem syllogismi legitimi : minor patet, exemplo hujus syllogismi suprà propositi qui est in quarta figura & in modo aptala: omnis homo est animal : omne animal est viuens : ergo omnis homo est viuens : hic enim syllogismus est verè oratio in qua quibusdam positis, &c.

3°. Figura in qua fit syllogismus perfectus est perfecta : atqui figura Galeni est figura in

qua sit syllogismus perfectus : ergo figura Galeni est perfecta : probatur minor , vbi tres termini ita sunt inter se affecti , vt minor sit in toto medio , & medius in toto primo , ibi sit syllogismus perfectus: atqui in figura Gal. tres term. ita inter se afficiuntur vt minor sit in toto medio , & medius in toto primo : ergo in figura Galeni sit syllogismus perfectus : major ntitur auctoritate Arist. l. 1. pri. An. c. 4. & hoc argumentum est efficax contrà Arist. minor patet hoc syllogismo in quartâ figurâ , & in modo *Aptala* , omnis homo est animal: omne animal est corpus : ergo omnis homo est corpus : in quo syllogismo *corpus* quod est minor terminus, est in toto medio sc. in omni *animali* quod est medius terminus : & animal est in toto primo termino , scilicet in omni homine.

4º. Quæ figura habet legitimum medium , & legitima extrema est legitima , atqui figura Galeni habet medium legitimum & extrema legitima : ergo figura Galeni est legitima : probatur minor per partes ; 1º. habet legitimum medium , quia medium legitimum ex Aristotele & Aristotelis sequacibus est , illud quod dum est in uno termino , alius terminus est in ipso & positione fit medium : atqui figura Galeni habet tale medium : ergo figura Galeni habet

medium legitimum: major patet, apud Aristotelem loco suprà laudato: minor etiam liquet intuenti hunc syllogismum.

omnis homo est animal:

omne animal est viuens:

Ergo omnis homo est viuens: in quo *animal* quod est medius terminus est in uno termino, scilicet in homine, & aliis terminis, scilicet viuens est in ipso: deinde animal ponitur inter duo extrema; 2º figura Galeni habet legitima extrema, quia legitima extrema ex eodem Philosopho eodem loco sunt, *id quod est in alio*, & *id in quo est aliud*: atque figura Galeni habet ejusmodi extrema: ergo figura Galeni habet legitima extrema: major patet ex ipso Phil. loco jam satis laudato: minor etiam patet in syllogismo suprà allato: nam homo & viuens, quæ sunt extrema syllogismi, sunt talia qualia requiruntur ab Aristotele, cum viuens sit id quod est in alio, scilicet in animali: & homo sit id in quo est aliud, scilicet in quo est animal: his argumentis probatum fuit figuram Galeni legitimam esse: nunc sequitur ut ostendamus eam esse omnium figurarum Aristotelis nobilissimam, & hoc ita probamus.

Figura quæ est nobilior primâ figurâ Aristotelis est omnium figurarum Arist. nobilissi-

ma . atqui figura Galeni est nobilior primâ figurâ Arist. ergo figura Galeni est omnium figuratum Arist. nobilissima : probatur minor , si figura Galeni includat omnes perfectiones primæ figuræ Arist. & longè plures , est nobilior primâ figurâ Arist. atqui verum prius : ergo & posterius : probatur minor per partes ; i<sup>o</sup>. includit omnes perfectiones primæ figuræ , ut patet ex sequentibus , prima figura concludit omnibus modis : concludit vniuersaliter affirmatiuē in modo Barbara: concludit vniuersaliter negatiuē in modo Celarent: concludit particulariter affirmatiuē in modo Darij: concludit particulariter negatiuē in modo Ferio: similiter quarta figura concludit , omnibus modis , vniuersaliter affirmatiuē in modo Aptala: vniuersaliter negatiuē in modo Galene: particulariter affirmatiuē in modo Pirali: particulariter negatiuē in modo Viredo: medius terminus in prima figura non tantum est medius , ratione illationis quatenus habet vim inferendi conclusionem , sed etiam est medius ratione situs , cùm semel subjiciatur , & semel prædicetur in præmissis : similiter in quarta figura medius terminus non tantum est medius ratione illationis , sed etiam ratione situs , cùm semel subjiciatur & semel prædicetur in præmis-

sis: prima figura concludit cum maxima certitudine & evidentia, quia concludit vniuersaliter affirmatiuè & vniuersaliter negatiuè, ac proinde examinatur ad regulam dici de omni, & dici de nullo: quarta etiam figura concludit maxima cùm certitudine & evidentia, cùm concludat vniuersaliter affirmatiuè, & vniuersaliter negatiuè: patet igitur ex prædictis figuram Galeni habere omnes perfectiones primæ figuræ, nunc in secundo loco ostendemus habere plures perfectiones quam primam figuram, 1<sup>o</sup>. in quarta figura medius terminus est planè medius, cùm ponatur sempèr inter duo extrema, vt clarum est in hoc syllogismo, qui his lineis comprehenditur, omnis homo est animal, omne animal est viuens, ergo omnis homo est viuens: *animal* enim quod est medius terminus, siue prædicetur, siue subiiciatur, sempèr est inter duo extrema, scilicet inter *hominē* & *vnuens*, in prima verò figura niedius terminus non est sempèr inter duo extrema, sed semel tantum reperitur inter extrema, vt patet hoc syllogismo quem eodem tenore delineamus, qmnis homo est animal: atqui Petrus est homo: ergo Petrus est animal: in hoc enim syllogismo, homo reperitur semel tantum inter duo extrema, sc. inter animal & Petrum: reperitur

inquam inter illa extrema , dum est min. prop.  
sed non dum est majori : in quarta verò figura  
medius term. reperitur inter duo extrema, siue  
sit in majori, siue in minori propositione, quarta  
igitur figura gaudet hac perfectione qua non  
gaudet prima figura Aristotelis ; 2° . si figura  
Galeni imitetur nobiliorem figuram Geome-  
tricam , quam prima figura Aristotelis est no-  
biliar primâ figurâ Aristotelis : atqui figura  
Galeni imitatur nobiliorem figuram Geome-  
tricam , quam prima figura Aristotelis : ergo  
figura Galeni est nobilior primâ figurâ Aristo-  
telis: ratio majoris est quia figuræ syllogisticæ  
inuentæ sunt ad contemplationem figurarum  
Geometricarum , idcircò quæ figura syllogisti-  
ca imitatur nobiliorem figuram Geometricam  
debet censeri nobilior : probatur verò minor,  
figura Galeni imitatur figuram rotundam, non  
verò prima figura Aristotelis : ergo figura  
Galeni imitatur nobiliorem figuram : antece-  
dens patet sicut enim figura rotunda procedit à  
primo ad medium , & à medio ad ultimum : ita  
figura Galeni incipit à primo : pergit ad me-  
dium , & à medio transit ad ultimum : prima  
verò figura incipit à medio ( scilicet termino )  
progreditur ad primum ( scilicet ad majorem  
terminum ) descendit ad ultimum ( scilicet ad  
minorem terminum . )

Obijcitur r<sup>o</sup>. in omni figura legitima & naturaliter concludente, major terminus prædicatur de minori in conclusione: atqui in figura Galeni major terminus non prædicatur de minori in conclusione, sed potius minor terminus prædicatur de majori: ergo figura Galeni non est legitima: major patet, intuenti omnes figuras Aristotelis, in quibus major terminus, semper prædicatur de minori in conclusione, in exemplum nobis sufficiat afferre hunc syllogismum qui est in prima figura, & in modo Darij, omnis homo est animal: atqui Petrus est homo: ergo Petrus est animal: vbi animal quod est major terminus prædicatur in conclusione de Petro qui est minor terminus: probatur vero minor in medium adducto hoc syllogismo qui est in figura Galeni, & in primo ejus modo, omnis homo est animal, omne animal est viuens: ergo omnis homo est viuens, in quo viuens, quod est minor terminus prædicatur in conclusione de *homine* qui est major terminus, vnde patet figuram Galeni, non habere conclusionem naturalem, sed violentam, & contra naturam, cum minor terminus prædicetur in conclusione de suo superiori, scilicet de majori termino. Respondeo distinguendo maiorem, in omni figura legitima, major terminus,

debet prædicari in conclusione de minori termino, distinguo : in omni figura Aristotelica, concedo : in omni figura siue Aristotelica, siue Galenica , nego : ratio discriminis euidentissime patebit aduersarijs , modò aperire oculos non dedignentur : in figuris Aristotelis fit descensus à superiori ad inferius , per scalam categoricam , idcircò major terminus à quo incipit ille descensus est sempèr superior , & minor terminus ad quem fit ille descensus est inferior , ac proinde quis non videt majorem terminum vtpotè superiorem , debere prædicari sempèr in conclusione de minori termino vtpote de suo inferiori , quòd verò in figuris Aristotelis fit descensus à superiori ad inferius demonstramus euidenter hoc syllogismo , omnis homo est animal : atqui Petrus est homo : ergo Petrus est animal : in quo fit descensus ab animali ad Petrum : in figura verò Galeni fit ascensus ab inferiori ad superius ( vel saltem non fit descensus ) per scalam categoricam , idcircò major terminus à quo incipit ille ascensus est sempèr inferior , & minor terminus ad quem fit idem ascensus est sempèr superior , quis igitur mirabitur? Si minor terminus , vtpotè superior prædicetur sempèr in conclusione de majori termino , vtpotè de suo inferiori fieri

verò talem ascensum in figura Galeni meridiana luce clarius est, in syllogismo sequenti. Omnis homo est animal, omne animal est viuens; ergo omnis homo est viuens, in hoc enim syllogismo fit ascensus, ab homine ad animal, & ab animali ad viuens, non est igitur quod Massius hoc argumentum vocet efficax, cùm sit planè ferculneum, & telum sine iictu.

Obijcitur 2°. in omni figura legitima, consequens superioris est etiam consequens inferioris verbi gratia animal quod consequitur hominem, qui est superior, consequitur etiam Petrum qui est inferior, in hoc syllogismo, omnis homo est animal: atqui Petrus est homo: ergo Petrus est animal: atqui in figura Galeni consequens superioris, non est consequens inferioris: ergo figura Galeni non est legitima: minor probatur in medium allato hoc syllogismo qui est in figura Galeni, omnis homo est animal, omne animal est viuens: ergo omnis homo est viuens, nam animal quod est consequens majoris termini scilicet hominis, non est consequens minoris termini scilicet viuentis, cùm ex eo quod aliquid sit viuens, non sequatur illud esse animal, sicut ex eo quod aliquis sit homo recte infertur eum esse animal. Respondeo ad majorem cùm hac distinctione in

omni figura legitima , consequens superioris est consequens inferioris , distinguo : in omni figura Aristotelica , concedo : in omni figura, siue Aristotelica , siue Galenica , nego : ratio discriminis est quia, (ut suprà obseruatum fuit) in figuris Aristotelis sempèr fit descensus à superiori ad inferius , vndè quicquid consequitur superius , consequitur necessariò inferius , verbi gratia cùm animal consequatur hominem , consequitur etiam Petrum, qui est sub homine, in eadem categoria. In figura verò Galeni fit ascensus ab inferiori ad superiorius per scalam categoricam. Quod autem consequitur inferius non consequitur sempèr ejus superiorius , verbi gratia homo consequitur Petrum , sed homo non consequitur substantiam quæ non tantum est suprà Petrum , sed etiam suprà hominem.

Obijcitur 3º. prima & quarta ( ut vocant ) figura habent eandem essentiam: ergo sunt una & eadem figura , & per consequens non datur quarta figura: probatur antecedens , quæ figuræ habent eandem dispositionem medij , habent eandem essentiam : atqui prima & quarta figura, habent eandem dispositionem medij: ergo prima & quarta figura habent eandem essentiam: probatur minor , quæ habent medium semel subjectum , & semel prædicatum

in præmissis, habent eandem dispositionem medij; atqui prim. & quarta figura, habent medium semel subjectum, & semel prædicatum in præmissis, vt patet ex prædictis: ergo prima & quarta figura, habent eandem dispositionem medij. Respondeo distinguendo majorem, quæ habent medium semel subjectum, & semel prædicatum, habent eandem dispositionem medij, distingo: si habeant medium semel subjectum, & semel prædicatum in eodem loco, concedo: si habeant medium semel subjectum, & semel prædicatum in diuersis locis, nego: in prima autem figura, medium est subjectum in majori, & prædicatum in minori: in figura vero Galeni, medium est prædicatum in majori, & subjectum in minori, diuersitas autem loci, vel situs, quem occupat mediis terminus dum subiicitur, & prædicatur in prima & in quarta figura, distinguit essentialiter primam figuram à quarta; cùm ob diuersum situm medij termini multiplicentur figuræ; adde quod negari potest minor, nam prima figura habet quidem medium semel subjectum, & semel prædicatum, quarta vero figura, habet medium semel prædicatum, & semel subjectum.

Obijcitur 4°. quarta figura differt accidentiariò tantum à prima: ergo non debet addi

tanquam figura, essentialiter diuersa ab alijs: probatur antecedens; quod distinguitur à prima figura, sola transpositione propositionum majoris scilicet in locum minoris, & vicè versa minoris in locum majoris, distinguitur tantum accidentariò à prima figura: atqui quarta figura distinguitur à prima sola transpositione propositionum, vt patet hoc exemplo, omnis homo est animal, omne animal est viuens: ergo omnis homo est viuens, transponantur præmissæ, & fiet argumentum in prima figura hoc pacto, omne animal est viuens, omnis homo est animal: ergo omnis homo est viuens. Respondeo negando minorem, quarta enim figura differt à prima secundùm dispositionem medij cùm extremis, ( vt suprà vidimus, ) ac proinde differt essentialiter à prima. Respondeo 2º. retorquendo argumentum: prima figura differt accidentariò tantum à quarta: ergo figura, ( quæ prima nuncupari solet ) non debet addi tanquam figura diuersa essentialiter à figura Galeni, & ab alijs figuris Aristotelis: & sic admittendæ erunt tres figuræ tantum, quarum prima erit figura Galeni. Dico 3º. figura quæ habet essentiam primæ est legitima: atqui ex concessione aduersariorum quarta figura habet essentiam primæ, cùm non differat essentialiter

à prima, sed accidentariò tantum: ergo quarta figura est legitima.

Obijcitur 5°. à Derodone, vbi sequitur eadem conclusio, sine illa conuersione propositionum, ibi est eadem figura: atqui in prima, & in quarta figura sequitur eadem conclusio sine illa conuersione propositionum: ergo prima & quarta figura sunt eadem figura: minor patet exemplo horum syllogismorum, quorum prior est in prima figura: posterior verò in quarta: omne animal est viuens, omnis homo est animal: ergo omnis homo est viuens, in quarta figura sequitur eadem conclusio sine illa conuersione propositionum, hoc pacto, omnis homo est animal, omne animal est viuens: ergo omnis homo est viuens. Respondeo distinguendo majorem, vbi sequitur eadem conclusio sine illa conuersione propositionum, ibi est eadem figura, distinguo: vbi sequitur eadem conclusio & ex eadem dispositione medij cum extremis, concedo: vbi sequitur eadem conclusione ex diuersa dispositione medij cum extremis, nego: in primâ autem & quarta figurâ, sequitur quidem eadem conclusio sine illa conuersione propositionum, sed sequitur ex diuersa dispositione medij cum extremis, si verò excipiant aduersarij dari syllogismos qui concludunt

dunt indirecte in quarta figura dic eos concludere indirecte, quia sunt in modis indirectis quartæ figuræ: hinc autem agitur de modis directis quartæ figuræ, si etiam nobis obijciatur quod docuerimus in Compendio primam figuram esse omnium figurarum nobilissimam; respondendum est eam esse nobilissimam respectu figurarum Aristotelis; sed non respectu omnium omnino figurarum, siue Aristotelis; siue Galeni, sc. est nobilissima respectu, primæ & respectu secundæ figuræ, quia concludit cum majori certitudine, & cum majori evidentiâ: non verò est nobilior quartâ figurâ, ( vt probauimus suprà satis fusè. )

**QVÆSTIO II.***An detur scientia.*

**I**N QVÆSTIONE præsenti quæremus vtrum detur scientia & eam dari probabimus aduersus Platонem qui voluit omnem cognitionem nostram esse meram reminiscentiam: aduersus Pyrrhonios qui dum sensus tanquam suos Magistros audiebant. Docebant res omnes dubias esse: confirmamus autem dari scientiam his argumentis.

Gg

1°. Vel aduersarij qui negant dari scientiam sunt scientes, vel sunt nescientes: si sint scientes, datur scientia: si sint nescientes, non sunt audiendi cum nescientibus & ignaris non sit credendum.

2°. Cognitio certa & euidens rei necessariæ per causam necessariam est scientia: atqui datur talis cognitio: ergo datur scientia: minor probatur, hoc vnico exemplo, cognitio quod homo sit risibilis, quia est rationalis, est cognitio certa & euidens rei necessariæ per causam necessariam: atqui datur talis cognitio: ergo datur cognitio certa, & euidens rei necessariæ per causam necessariam.

3°. Datur appetitus naturalis scientiæ: ergo datur scientia, vel saltem dari potest. Ratio consequentiæ est quia appetitus naturalis non potest esse frustrà, esset autem frustrà appetitus scientiæ, si non posset acquiri scientia: appetitum autem naturalem non posse esse frustrà satis clarum est, ex illo axiomate, *Deus & natura nihil frustrà faciunt.*

Obicitur à Platone, si daretur scientia, tu qui doces dari scientiam scires numerum binarium esse parem: atqui falsum posterius, ergo & prius: probatur minor nescis numerum quem habeo præ manibus esse parem: atqui numerum

binarium habeo præ manibus : ergo nescis numerum binarium esse parem, hoc etiam sophistate vtebatur Plato , vel cognoscis id quod quæris, vel non cognoscis , si cognoscis frustrè quæris ejus cognitionem , si non cognoscis, quomodo dijudicabis esse illud quod quærebas quando tibi occurret. Respondeo cum Aristotele cognitionem esse duplicem vnam confusam & implicitam , alteram distinctam, explicitam , vndè ad argumentum non cognoscimus cognitione distincta numerum quem aliquis habet præ manibus esse parem, cognoscimus tamèn cognitione confusa , & implicita numerum quem aliquis habet præ manibus esse parem , cum sciamus distinctè omnem numerum binarium esse parem , & per consequens cognoscimus confusè & implicitè numerum quem aliquis habet præ manibus esse parem.

## QVÆSTIO III.

*Quid sit scientia.*

**S**CIENTIA est cognitio discursiva sive acquisita per discursum , vt insinuat Aristoteles lib. i. post. Anal. cap. 1°. his verbis

πᾶσα σιδηραλία ή πᾶσα μόνοις διανοετική γνώση εἰναι τοις παραχθόνταις γνώσεως; id est omnis doctrina, & omnis disciplina discursiva fit ex præexistente cognitione: vbi sub nominibus doctrinæ & disciplinæ intelligi debet scientia, quæ sub diuerso respectu dicitur doctrina & disciplina, dicitur scilicet doctrina respectu docentis, vocatur verò disciplina respectu dissentis: omnis igitur scientia fit ex præexistente cognitione, scilicet ex prævia cognitione terminorum simplicium, & ex prævia cognitione præmissarum: & in hoc scientia distinguitur à cognitione sensus, cùm cognitio sensus non fiat ex præexistente cognitione.

Scientia definitur cognitio certa, euidens rei necessariæ per causam necessariam proximam & immediatam, quam definitionem alibi explicuimus. Hic vnum tantum addemus, scilicet certitudinem esse duplēm, vnam intrinsecam & Metaphysicam, alteram extrinsecam & moralem, prior fundatur in connectione intrinseca & essentiali terminorum, qualis est certitudo, qua certus sum hominem esse rationalem: certitudo extrinseca & moralis fundatur in autoritate reuelantis. Præmissa hac distinctione, dicimus scientiam esse cognitionem certam certitudine intrinseca, & quæ fun-

datur in connexione essentiali terminorum, vnde patet Sacro-sanctam Theologiam non esse scientiam propriè dictam, quia scientia est certa certitudine intrinseca: atqui Theologia non est certa certitudine intrinseca: ergo Theologia non est scientia: minor patet, cum tota certitudo Theologiæ sit ab extrinseco, scilicet ab autoritate Dei reuelantis.

Scientia igitur non est nobis naturalis: ut voluit Plato, qui voluit omnem nostram scientiam nihil aliud esse quam reminiscientiam, quatenus, scilicet scientiarum igniculi à naturâ animabus nostris insiti, & ab humoribus corporis consopiti excitantur denuò experientiâ, studio, vel curâ præceptorum. Sed contrà hanc sententiam sic arguo: si scientia nobis est naturalis, non possemus facilè acquirere habitum contrarium scientiæ: atqui facilè acquirimus habitum contrarium scientiæ, cum facilè acquiramus habitum erroris, vel hæresis qui contrariarur scientiæ: ergo scientia nobis non est naturalis: major patet, exemplo lapidis, qui cum habeat inclinationem naturalem sese mouendi deorsum, non potest acquirere inclinationem sese mouendi sursum: secundò, si nostra scientia esset reminiscientia, non tantum recordaremur eorumquæ sciuiimus antea, sed etiam

recordaremur nos ea sciuisse : atqui falsum posterius , ergo & prius.

QVÆSTIO IV.

*Quid sit & quotuplex demonstratio.*

**I**N compendio vidimus quid sit & quotuplex demonstratio , idcircò hanc quæstionem paucis absoluemus.

Demonstrario definitur *syllogismus scientificus* , id est syllogismus ad scientiam generandam natus: definitur etiam syllogismus qui concludit ex veris , necessarijs , primis , notioribus naturâ , & causis conclusionis : quam definitionem in Compendio exposuimus . Hic tantum obseruabimus Aristotelem probare principia esse notiora conclusione hoc axiomatè , propter quod unumquodque est tale , illud est magis tale: atqui propter principia conclusio est nota : ergo principia sunt magis nota : vt autem superius axioma sit verum , requiruntur conditiones sequentes ; 1°. illud propter quod unum quodque est tale debet esse causa efficiens rei quæ est talis non verò ejus causa formalis , unde ob defectum hujus conditionis non valet

argumentum sequens , propter quod vnum-  
quodque est tale , illud est magis tale : atqui  
propter albedinem , paries est albus : ergo al-  
bedo est magis alba : quare hæc duo axioma-  
ta , quæ videntur sibi contraria , sunt simul ve-  
ra , *id quo cætera dicuntur talia , non dicitur tale:*  
*id quo cætera dicuntur talia , dicitur magis tale:*  
prius enim , ita debet intelligi , id quo cætera  
dicuntur *formaliter talia* , non dicitur tale , ita  
quia actio est id quo aliquis dicitur formaliter  
agens , ipsa non dicitur agens : posterius verò  
intelligi debet hoc sensu , id quo cætera dicun-  
tur *causâliter & effectuè talia* dicitur magis tale ,  
ita quia ignis est id quo lignum est effecti-  
uè calidum , ignis dicitur magis calidus ; 2°.  
illud propter quod vnumquodque est tale debet  
esse capax intensionis & remissionis , vndè  
quia deest hæc conditio non valet hæc argu-  
mentatio , propter vnumquodque est tale , illud  
est magis tale : atqui propter Petrum , Paulus  
est homo : ergo Petrus est magis homo ; 3° . &  
vltimò illud propter quod vnumquodque est  
tale , non tantum debet esse causa efficiens , sed  
etiam debet esse causa efficiens per se rei quæ  
est talis , non verò ejus causa per accidens , id-  
circò non valet hoc argumentum , illud propter  
quod vnumquodque est tale , illud est magis

tales: atque propter vinum homo est ebrius: ergo vinum est causa ebrietatis, vinum enim est causa per accidens ebrietatis hominis, quia accidit homini plusquam pars est bibere: demonstratio est duplex, *una quod sit, altera cur sit*: prior demonstrat causam per effectum, qualis est sequens omne risibile est rationale, omnis homo est risibilis: ergo omnis homo est rationalis, in qua rationalitas quae est causa demonstratur de homine per suum effectum, scilicet per risibilitatem, & haec demonstratio non gignit scientiam propriè dictam, quia quamvis per illam sciamus quod res sit non tamè scimus cur res sit: posterior demonstrat effectum per suam causam propriam & necessariam qualis est sequens, omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est risibilis, in qua demonstratur risibilitas quae est effectus per rationalitatem tanquam per suam causam, & haec demonstratio nobis acquirit scientiam propriè dictam, quia per eam cognoscimus certo & euidenter quod res sit & cur res sit.





# APPENDIX VBI DE LOCIS TOPICIS!


---

## CAPVT I.

### *De syllogismo topico.*

 YLLOGISMVS topicus siue probabilis est ille *qui parit opinionem*, quia verò de syllogismo topico, & de syll. soph. in Comp. hīc vnum tantūm obseruaturi sumus, scilicet, dari differentiam inter scientem, credentem, opinantem, dubium, & suspicantem: sciens est ille qui adhæret vni parti ob rationem necessariam: credens est ille qui adhæret objecto ob autoritatem reuelantis: opinans est ille qui adhæret vni parti ob aliquam rationem probabilem:

dubius est ille qui neutri parti adhæret , & in utramque partem æqualiter propendet : suspicans est ille qui neutri parti adhæret , sed magis propendet in vnam partem , quām in aliam .



## CAPVT II.

*De locis topicis quid sint & quotuplices sint.*

**V**O<sup>X</sup> topici deducitur à voce Græca τόπος quæ locum significat : locus topicus est *sedes argumenti* vbi per argumentum non debet intelligi syllogismus vt sæpè intelligitur apud Philosophos , sed intelligendum est medium idoneum ad probandam , vel refutandam Thesis.

Loci topicci diuiduntur in *artificiales* , & *inartificiales* : loci artificiales sunt illi e quibus eruuntur media directione artis : inartificiales sunt illi e quibus eruuntur media sine vlla directione artis : quales sunt loci à testimonio humano vel diuino , hīc de locis artificialibus est sermo : loci artificiales subdiuiduntur in *internos* , vel *insitos* : & *externos* , vel *assumptos* : loci artificiales interni sunt loci e quibus eruuntur media interna quæstioni probandæ vel refu-

tandæ : externi sunt loci è quibus defumuntur  
mediia externa quæstioni probandæ vel refu-  
tandæ.

Loci artificiales interni, sunt locus à genere,  
locus à specie, locus à differentia, locus à de-  
finitione, locus à proprio, locus à materia, lo-  
cus à forma : loci artificiales externi sunt lo-  
cus ab etymologia, à causa efficienti, à causa  
finali, locus ab effectu, locus ab accidenti  
communi, locus ab oppositis, &c.

---

### CAPVT III.

#### *De locis artificialibus internis.*

**P**RIMVS locus, qui nobis occurrit est locus  
à genere : hic autem locus habet has ma-  
ximas: quicquid conuenit essentialiter generi  
conuenit essentialiter speciei, cum certa sit  
hæc regula ante-prædicamentalis : quicquid  
prædicatur per se de superiori, prædicatur etiam  
per se de inferiori : ubi aduerte has propositio-  
nes, ( quæ videntur contradictoriarum ) esse simul  
veras : quicquid essentialiter non conuenit ge-  
neri, non conuenit speciei: aliquid, quod non  
conuenit essentialiter generi, conuenit essen-

tialiter speciei : prior est vera , quia sensus prioris est , quicquid ex essentia sua repugnat generi repugnat etiam ejus speciei , ita quia lapis repugnat animali , repugnat etiam homini : posterior etiam propositio est vera , quia ejus sensus est quod non est de essentiâ generis est de essentiâ speciei , ita rationale non est de essentia animalis , sed est de essentiâ hominis : de genere valent etiam istæ maximæ , cui conuenit genus , ei conuenit aliqua species , cui non conuenit genus ei nulla conuenit species , ita quia Petro conuenit natura animalis , Petro etiam conuenit natura humana , quæ est species : quia verò lapidi non conuenit natura animalis , lapidi etiam non conuenit natura hominis , vel natura bruti : porrò de genere vallet hæc maxima : quicquid est de essentia generis est de essentia omnium ejus specierum , sicut vicè versâ , quicquid est de essentia omnium specierum est de essentiâ earum generis , verbi gratia cùm viuens sit de essentiâ hominis & bruti , viuens est etiam de essentiâ animalis , de genere plura videbis in Compendio .

Locus à specie continet has maximas , posita specie ponitur genus , verbi gratia positio homine ponitur animal , sublata verò specie non tollitur genus : de quo affirmatur species

de eodem affirmatur genus, verbi gratia de Petro affirmatur homo, de Petro etiam affirmatur animal, de quo negantur omnes species, de eodem negatur genus, verbi gratia, cum de lapide negentur homo & brutum, de lapide negatur etiam animal.

Locus à differentia continet istas maximas cui conuenit differentia specifica ei conuenit species, cui non conuenit differentia specifica ei non conuenit species, verbi gratia cùm rationalitas conueniat Petro, Petro etiam conuenit natura humana: lapidi non conuenit rationalitas, lapidi etiam non conuenit natura humana.

Locus à definitione continet istas maximas, cui conuenit vel non conuenit definitio, ei etiam conuenit vel non conuenit definitum: quod conuenit definitioni conuenit etiam definito.

Locus à proprio, habet easdem quas habent differentia & definitio, ita vt à generè ad speciem consequentia valeat negatiū tantum, verbi gratia lapis non est animal: ergo non est homo: ergo non est brutum, contrà verò à specie ad genus consequentia valet affirmatiū tantum, vt Petrus est homo: ergo est animal, canis est brutum: ergo est animal à differentia

verò ad speciem, à definitione ad definitum, à proprio ad subjectum consequentia valet tum affirmatiuè, tum negatiuè, vt Petrus est rationalis: ergo est homo: canis non est rationalis: ergo non est homo: Petrus est animal rationale: ergo est homo, leo non est animal rationale: ergo non est homo: Petrus est risibilis: ergo est homo, canis non est risibilis: ergo non est homo.

Locus à materia continet istas maximas sublata materiâ tollitur compositum: posita verò materia non statim ponitur compositum.



## CAPVT VLTIMVM.

*De locis artificialibus externis.*

**L**OCVS à notatione nominis est primus locus artificialis & externus, vt autem quæ dicemus de illo nobis sint clariora: obseruamus 1°. hic agi de etymologia directa non verò de etymologia indirecta, qualis est etymologia belli quod dicitur bellum per antiphrasim, quia minimè bellum: obseruamus 2°. notationē directam nominis esse triplicem quārum prima, est latior nomine, secunda ang-

stior, tertia neque est latior, neque angustior nomine, sed est ei æqualis: à prima ad nomen valet consequentia negatiuè, verbi gratia Angelus non est ab humo: ergo Angelus non est homo, hæc enim notatio nominis *ab humo* est latior nomine, quia omnis homo est ab humo, sed quicquid est ab humo non est homo: à notatione nominis quæ est angustior nomine ad nomen consequentia non valet, neque affirmatiuè, neque negatiuè: a notatione verò nominis quæ est æqualis nomini, ad nomen consequentia valet, tum affirmatiuè, tum negatiuè, ut: ille prædictit futura: ergo est Propheta, non prædictit futura: ergo non est Propheta, consulit Reipublicæ: ergo est consul, non consulit Reipublicæ: ergo non est consul.

Locus à causa efficienti continet istas maximas, posita causa in actu, ponitur etiam effectus in actu posita causa in potentia, ponitur effectus in potentia: sublata causa efficienti, tollitur effectus si sit causa efficiens per emanationem, sublata causa efficienti, tum in tempore præterito, tum in tempore præsenti, tum in tempore futuro, tollitur omnino effectus: qualis causa talis effectus: modò sit causa per se, modò etiam sit causa naturalis, non libera, particularis, non generalis, vniuoca, non æquiuoca.

Locus à causa finali continet istas maximas posito fine ponuntur media : sublato fine tolluntur media.

Locus ab effectu continet istas maximas, posito effectu ponitur causa vel in tempore præsenti, vel in tempore præterito, sublato effectu non tollitur causa, verbi gratia sublata domo non tollitur *Architectus*.

Locus ab accidente communi continet istam maximam, posito accidente communi ponitur substantia, sublato vero accidente communi non propterea tollitur substantia.

Locus ab oppositis continet istas maximas, primò oppositorum eadem est ratio : id est oppositorum eadem est ratio scientiæ vel cognitionis, cum pertineat ad eandem scientiam agere de oppositis : præterea oppositorum eadem est ratio generica, non tamen eadem est specifica de oppositis traditur etiam hæc maxima : opposita sunt oppositorum consequentia, vel contrariorum contraria sunt prædicata, verbi gratia albedo disgregat visum : ergo nigredo congregat visum. LAVS SIT DEO.

FINIS.

INDEX



## INDEX

CAPITVM ET QVÆSTIONVM

*Quæ*

CONTINENTVR

IN HAC

LOGICA

IN PRÆLVDIIS.

CAP. I. <i>De nomine &amp; origine Phil.</i>	<i>pagin.</i> 5
II. <i>de definitione Philosophiae.</i>	9
III. <i>de diuisione Philosophiae.</i>	29
In posteriori loco communi qui est de Logica.	
CAP. I. <i>de nominibus &amp; definitione Logice</i>	37
II. <i>de genere Logice.</i>	41
III. <i>quid sit intelligentia, sapientia, scientia, prudentia &amp; ars.</i>	43

Cap. IV. <i>Vtrum Logica sit intelligentia, sapientia, vel prudentia.</i>	48
V. <i>Vtrum Logica sit ars.</i>	52
VI. <i>Vtrum Logica sit scientia.</i>	65
VII. <i>Vtrum Logica sit scientia practica.</i>	84
VIII. <i>Vtrum ens rationis sit obiectum Log.</i>	89
IX. <i>Vtrum directio operationum mentis sit finis Logicae.</i>	105
X. <i>Vtrum Logica sit pars Philosophiae.</i>	112
XI. <i>Vtrum Logica sit necessaria ad alias scientias acquireendas.</i>	118
Quæstiones de vniuersalibus.	
Quæst. I. <i>Vtrum dentur res vniuersales.</i>	140
II. <i>Vtrum vniuersalia sint corporea, vel incorporeæ.</i>	144
III. <i>Vtrum vniuersalia sint separata a singularibus.</i>	148
IV. <i>Vtrum vniuersalia sint meri conceptus, vel mera nomina.</i>	152
V. <i>Vtrum vniuers. sint æterna &amp; ubique.</i>	156
VI. <i>Vtrum vniuersale sit à parte rei.</i>	159
VII. <i>Vtrum vniuersale sit genus uniuocum ad quinque prædicabilia.</i>	185
VIII. <i>de numero prædicabilium.</i>	199
IX. <i>Vtrum definitio generis tradita à Porphyrio sit legitima.</i>	206
X. <i>quid definitatur definitione generis.</i>	209

- Quæst. XI. *utrum genus possit conseruari in unica specie.* 211
- XII. *utrum definitio speciei tradita à Porphyrio sit legitima.* 213
- XIII. *de differentia.* 216
- XIV. *de distinctione graduum Metaph.* 220
- XV. *de proprio quid sit & quo respectu sit uniuersale.* 223
- XVI. *utrum proprium possit separari realiter à subiecto.* 225
- XVII. *de accidente communi quid sit & sub quo respectu sit uniuersale.* 239
- XVIII. *utrum accidentia possint existere sine subiecto.* 243
- Quæstiones in librum categoriarum.*
- Quæst. I. *utrum Deus sit in prædicamento substantiæ.* 285
- II. *utrum Angeli sint in prædicamento substantiæ.* 297
- III. *utrum differentiæ substantiarum sint substantiæ.* 305
- IV. *de proprietatibus substantiæ.* 314
- V. *quænam sit essentia quantitatis.* 318
- VI. *utrum linea, superficies, & corpus sint species quantitatis.* 325
- VII. *utrum locus sit species quantitatis.* 328
- VIII. *utrum tempus sit species quantitatis continuæ.* 332

- Quæst. IX. *Vtrum numerus sit species quantitatis discretæ.* 339
- X. *Vtrum oratio sit species quantitatis discretæ.* 349
- XI. *Vtrum dentur relationes reales.* 353
- XII. *Vtrum detur supremum genus in categoria relationis.* 357
- XIII. *Vtrum unum relitorum referatur ad plures terminos unica relatione, vel pluribus.* 360
- XIV. *quænam requirantur ad constituendam relationem categoricam, & quomodo differat à transcendentali.* 365
- XV. *Vtrum relatio distinguatur realiter à suo fundamento.* 368
- XVI. *Vtrum habitus & dispositio differant specie.* 381
- Quæstiones in librum Aristotelis de interpretatione.
- Quæst. I. *quid sit signum & quotuplex.* 391
- II. *Vtrum vox sit genus nominis & verbi* 393
- III. *Vtrum voces significant concep. & res.* 396
- IV. *quid sit nomen infinitum & utrum omnia nomina possint infinitari* 403
- V. *Vtrum mentiri & falsum dicere sint idem.* 405
- VI. *Vtrum omnis propositio consistat capite verbali.* 410



**Quæst. VII.**

falsa.

**VIII. Vtr**

**IX. Vtri**

gentis

**X. Vtr**

tium

alte

**Quæst.**

**Quæst. I.**

**II. an**

**III. q**

**IV. q**

**Cap. I.**

**II. a**

sin

**III. d**

**IV. d**

60

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

W. H. WOODWARD,  
111 W. 125th Street,  
New York,  
N. Y.